DE

LUCIO FABIO CILONE,

PRAEFECTO URBI ROMAE.

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

OTTO MEINHOLD

BRUNNENSIS.

MONASTERII,

TYPIS IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXVII.

AVUNCULO OPTIMO

NICOLAO PUENGEL,

S. S. THEOL. DOCTORI EIUSDEMQUE PROFESSORI P. O. IN HAC ALMA ACADEMIA MONASTERIENSI, CANONICO CAPITULARI ECCLESIAE CATHEDRALIS MONASTERIENSIS, EXAMINATORI PROSYNODALI,

PIE GRATEQUE

SACRUM.

> „Wenn es die Aufgabe der Philologie ist, das gesammte Leben der alten Völker zur Erkenntniss der Mitwelt zu bringen, und aus den zerrissenen Fragmenten der alten Zeit einen neuen Bau aufzurichten, so wird Niemand bezweifeln, dass vor Allem die rechtlichen Verhältnisse der Nationen von den Philologen erforscht werden müssen und als ein Theil ihres Eigenthums anzusehen sind."
>
> Rein ‚Das röm. Privatrecht.' praef. pag. 1.

Caput I.

De origine atque progressu praefecturae urbanae.

Nullius populi fata factaque saepius a rerum scriptoribus pertractata, illustrata ac celebrata sunt, quam populi Romani, idque non sine causa factum putare debes. Etenim ut iam omittamus id quod iure excitavit omnium admirationem, ex quam tenuibus principiis ad quantam pervenerint Romani potentiam et magnitudinem: dignissimum fuit et est, quod etiam atque etiam consideretur et perpendatur, quibus scilicet rebus Romani per tam longam saeculorum seriem tantum imperium obtinere totumque fere orbem terrarum in ditione sua atque potestate retinere potuerint. Armorum quidem vi, Martis, bellorum dei, favore, constantia sua atque fortitudine et hostes irruentes profligare ac divincere et imperii fines proferre potuerunt: sed ut urbem suam servarent mundi caput et imperium adeptum tam longum tempus obtinerent

iis non contigisset nisi ea re, qua inter omnes populos excellunt imprimis Romani: dico autem sapientiam et prudentiam rerum publicarum instituendarum et tuendarum. Quae res, ut recte dicit Niebuhrius firmissimum fuit imperii Romani fundamentum.[1] Ideoque omnino consentire debemus poetae dicenti:

„Duo sunt, quibus extulit ingens
„Roma caput, virtus belli et sapientia pacis.“[2])

Licet multa ex iis, quae de singulis regibus eorumque institutionibus atque meritis in futuram nominis Romani gloriam nobis traduntur, falsa fictaque existimanda sint, tamen ex eo, quod Romani primo iam regi absolutam fere et perfectam civitatis constitutionem adtribuerunt, elucet, quanti habuerint momenti bonam et firmam rerum publicarum descriptionem et institutionem ad imperium suum amplificandum et servandum. Quapropter iis non satis erat armorum vi terras sibi comparare, sed occupata aliqua terra statim bonis institutionibus imperium partum stabilire subditosque vinculo bonae institutionis sibi connectere et allicere studuerunt. Bona vero instituta ea tantum habere potest civitas, in qua non solum omnium civium iura definita et descripta sunt, sed etiam magistratus constituti, qui et singulis civitatis regendae partibus prospiciant et civium iura ac privilegia tueantur. Forma quidem et ratio rei publicae Romanae non omnibus temporibus una eademque fuit, sed multas experta est mutationes. Quotiescunque autem civitatis forma mutata est, ingenium Romanum novas semper invenit leges et institutiones novosque magistratus, qui ad tempora et civitatis formam accommodati publicis necessitatibus satisfacerent.

---

[1]) Cfr. Niebuhr Vorles. ueb. R. G. ed. Zeitz. I. p. 125. — Hökh. R. G. I. 1 p. 2.

[2]) Sulpicia Carm. Satyr. 12.

§. 1. Quorum magistratuum in numero haud ultimum obtinebat locum praefectura urbis s. urbana[3]), qui magistratus a Romulo institutus, in libera quoque civitate valebat, summam vero auctoritatem et gravitatem adeptus est sub imperatoribus, qui omnium fere urbanarum rerum imperium et potestatem ad hunc detulerunt magistratum.

Sed ea, quae sub regum ac consulum imperio in usu erat praefectura urbis, aliam habuit formam aliamque vim, quam quae ab imperatoribus est instituta et recepta. Quamobrem

---

[3]) Dicenda sunt nonnulla de nomine huius magistratus. Qui igitur praefecturae munere fungebatur, is dicebatur a Romanis praefectus urbis vel praef. urbi: utrumque enim et in scriptoribus et in inscriptionibus legitur, ita ut difficile sit diiudicatu, quae significatio publice fuerit recepta. Franckius (de praef. urb. capita duo 1850 Berolini p. 2 sq.) nomine „praef. urbi" appellatos vult praefectos sub regum et consulum imperio constitutos; imperatores vero praefectos nominasse „praef. urbis" confirmat. Sed rationes quas affert non tales sunt, quae nobis persuadere possint. Quod enim scriptores adtinet, apud illos scribendi ratio fluctuat. Livius scribit praef. urbis; Tacitus eadem scribendi ratione utitur: scriptores post Tacitum exhibent nomen praef. urbi. Quod autem inscriptiones adtinet, ex iis contrarium potest demonstrari. Etenim multo maxima pars exhibet „praef. urbi." Quapropter etiam confirmare possumus, nomen praef. urbis primis temporibus in usu fuisse, praefectos vero ab imperatoribus institutos nomen habuisse praef. urbi. Ad hos enim maxima inscriptionum pars spectat, in quibus huius magistratus mentio fit. Niebuhrius (H. R. II. p. 136) confisus testimonio Laur. Lydi (de mens. I. 19. de magist. Rom. I. 34 et 38) praefectos sub regibus constitutos nominatos esse „custodes urbis" putat. Sed ex Lydi verbis nihil colligi potest neque huic auctori minoris notae tanta habenda est fides, cui etiam scriptores antiquiores repugnant, ex quibus elucere videtur, nomen Cust. Urbis non tam muneris praefecturae publici nomen, quam appellationem fuisse honorificam. Ita Augustus nominatur „custos imperii" (Orelli I. 643) et Maecenas „custos urbis" dicitur. (Cfr. Pedo Albinovanus El. de obitu Maec. v. 27 in Wernsd. P. L. M. III. p. 159.) Multos alios locos afferre possumus, ex quibus eluceat, nomen „custos urbis" non fuisse statum publiceque receptum. — Graeci scriptores varias usurpant significationes. Legimus ἔπαρχος (τῆς πόλεως) Dion. Halic. A. R. VI. 2. Herod. II. 2. πολίαρχος Dio Cass. LII.

plerumque duo discernuntur praefecturae genera[4]), quorum primum sub regibus et consulibus floruit, alterum vero imperatorum temporibus valebat. Accedit tertium praefecturae genus, praefectura urbis Feriarum Latinarum.[5]) Sed quum hic magistratus, simulacrum[6]) tantum illius praefecturae nobilioris ac vetustioris, in qua nunc versamur, haud magni fuisset momenti muniaque praefectorum, qui mali ominis tantum devitandi causa inter ferias Latinas creabantur, aut

---

21. Lyd. de mens. I. 19. de mag. Rom. I 34. πολιάνομος Dio Cass. XLIII. 20. quod tamen nomen de praetoribus urbanis dictum malim — ὕπαρχος τῆς πόλεως Zos. IV. 43 — ἀστυδίκης Lyd. de mens. I. 19. quo nomine praetor quoque urbanus appellari potuit.

[4]) Drackenborch.: de Praef. Urbi. 1752 Traj. cis Rhenum. Ed. alt. p. 1, 5 sqq. Corsinus: Series praef. urb. 1762 Pisis. praefat. §. 1. - 3. Francke l. c. p. 2.

[5]) Ne omnino hanc rem neglexisse videamur, afferre nobis in animo est, quae de praef. U. Fer. Lat. notatu digna sunt. Foedere cum Latinis inito Tarquinius Sup. instituit ferias Latinas, quae induciarum pacisque inter populum Rom. Latinosque firmatarum publicarum quasi documentum essent, (Macrob. Sat. I. 16.) sanxitque, ut quotannis in monte Albano sacra fierent Jovi Latiali, ad quae sacra celebranda omnes in foedus et societatem populi recepti legatos mitterent. (Dion. Hal. A. R. IV. 49.) Primum hae feriae per unum diem, deinde per duos, posterioribus denique temporibus per tres dies celebrabantur. (Dion. Hal. A. R IV. 95.) Sacris praeerant Romani, (Liv. I. 52.) et consules, qui antequam in provincias abirent, ferias Lat. celebrare debebant, ferias indicebant. (Liv. XXV. 1. 2. XXXVII. 3.) Ad celebrandas ferias omnes magistratus urbani Roma proficiscebantur; tribuni plebis quoque, quibus tamen integrum diem Roma abesse non licebat, tempore Fer. Lat. in montem Albanum se conferebant. (Dion. Hal. A. R. VIII. 87.) Urbs igitur sine magistratibus erat; quod quum mali ominis videretur, praefecti U. instituebantur, qui Pr. U. Fer. Lat. nominabantur. (Strabo V. p. 129. Pompon. Dig. I. 2 §. 33. Orelli-Henz. n. 3153, 3154 e. saep.) Hic praefecti Fer. Lat. instituendi mos sub imperatoribus quoque in usu erat. (Tac. An. IV. 36. Suet. Nes. 7. Capit. Anton. Phil. 4. Cors. p. 57. 85. 92. 98. 101.)

[6]) Tacit. Ann. VI. 1. 1.

nulla aut perexigua fuissent[7]), hoc de magistratu nihil amplius dicemus satisque est, huius institutionis mentionem fecisse. Sed ad rem nostram transeamus.

Romulus igitur praefecturam instituit urbanam primumque nominavit praefectum Dentrem Romulium.[8]) Bellis enim continuis longum per tempus Roma abesse coactus Romulus, ne urbs sine magistratibus esset, principem senatus a se creatum[9]) designavit praefectum urbis, qui rege profecto ius redderet ac subitis mederetur.[10]) Romuli exemplum sequuti sunt Tullus Hostilius, qui Numam Marcium[11]), et Tarquinius

---

[7]) Quae fuerint munia praef. U. F. L. ex Taciti verbis: „qui consulare munus usurpet“ elucet. Ius igitur habuerunt senatum habendi (Gell. N. A. XV. 8), iurisdictionem quoque habebant (Tac. An. IV. 36. Suet. Ner. 7.), sed leviorum tantum causarum iudices fuisse videntur. Etenim plerumque a iuvenibus magistratus hic gerebatur, (Gell. N. A. XIV. 8. Dio Cass. XLVII. 46) ex quo iam sequitur, Romanos ipsos huic magistratui haud magnam attribuisse auctoritatem. V. pl. ap. Drack. l. l. p. 19—26. Cors. praef. XII—XVIII. Francke p. 38 sq.

[8]) Tac. An. VI. l. l. Cors. p. 1 hunc praefectum Romulium Dentrem nominatum fuisse multis argumentis probare studet. — Desudat in nugis.

[9]) Hoc sequitur ex Dionys. Hal. verbis (A. R. II. 12) qui tamen institutionem senatus a Romulo susceptam enarrans nugatur. Dicit enim, Romulum ex una quaque curia tres patricios optimae famae eligi iussisse; hisce adiecisse nonaginta illos, quos curiae suis suffragiis elegissent senatores; regem elegisse centesimum, quem principem senatns et praefectum U. designasset. Verisimilius est, quod Niebuhrius H. R. II. p. 126—135 argumentis probare studet; contendit, et ut nobis quidem videtur, probat Niebuhrius, senatores suis suffragiis elegisse decem senatores, quos optimos, nobilissimos, prudentissimos habuissent, et ex his decem senatoribus regem elegisse unum senatus principem, quem occasione data urbi praefecisset.

[10]) Tac. l. c.

[11]) De hoc praefecto U. multa disseruerunt V. D. Cors. p. 4 sq. Drackenb. p. 6. Franck. p. 8, qui hunc virum Anci Martii patrem, Numae Pompilii generum fuisse ex Liv. I. 20 et Plut. Num. 21 verbis probare studuerunt.

Superbus, qui quum Ardeam obsideret eam suo ductu expugnaturus, Spurium Lucretium urbi praefecit.[12])

Haec sunt, quae de origine atque institutione praefecturae urbanae eiusque sub regum imperio usu nobis traduntur. Ex quibus id certe elucet, hoc praefecturae munus iam a primis civitatis Romanae temporibus in usu fuisse. Licet enim quae de regum Romanorum vita, factis et institutionibus nobis traduntur, magnam partem falsa fictaque sint, ita ut vix possimus perspicere, quid in una quaque re verum sincerumque sit, tamen non omnia sunt commenticia sed fidem habent aliquam et veritatem. Quaeritur iam, quae quantaque fuerit potestas praefectorum urbis a regibus constitutorum; id quod, ut nobis quidem videtur, facillime colligi potest. Vices enim qui absentis regis ad id ab ipso designati gererent quorumque arbitrio res in urbe curandae committerentur, eos summa praeditos fuisse potestate credere debemus. Quapropter confirmare possumus, praefectos urbis, quorum praecipua erat cura, ut urbem praestarent tutam ab omnibus periculis quum intestinis tum exteris iisque occurrerent[13]), non solum consilii capiendi et remediorum necessariorum instituendorum facultatem habuisse, sed etiam summam in urbe iurisdictionem, ita ut omnes, quae sub regum ius ac iurisdictionem subiunctae erant causae, deferrentur ad urbis praefectos iique et ipsi graviorum scelerum iudices sederent et leviorum causarum cognitionem senatoribus permitterent.[14]) Senatum quoque convocandi et ad eum referendi potestatem habuerunt.[15]) Num vero praefecti comitia quoque habere potuerint, nondum satis constat. Vide-

---

[12]) Tac. l. c. Dionys. Hal. A. R. IV. 2. Liv. I. 29. Alexander ab Alex. Gen. dies. VI.

[13]) Tacit. Ann. VI. l. l. „subitis mederetur." Becker-Marq. II. 1 p. 338.

[14]) Tacit. Ann. VI. 11. Pomp. de orig. iur. Dig. I. 2 §. 33. — A. W. Zumpt: Das Kriminalrecht der roemischen Republik. 1865. I. p. 51.

[15]) Gell. N. A. XIV. 7. Liv. III. 9. 29. Dionys. Hal. A. R. II. 12.

tur autem id colligi posse ex Livii verbis, qui dicit, Brutum, quum ad excitandos adversus regem exercitus Ardeam in castra profectus esset, imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis iam ab rege ante constituto, reliquisse.[16]) Rege vero expulso „duo consules comitiis centuriatis a praefecto urbis (Lucretio) ex commentariis Servi Tulli creati sunt L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.“[17])

Quibus ex verbis colligere possumus, comitia, quorum habendorum facultas ex lege penes regem tantum et tribunum Celerum fuit[18]), habuisse Lucretium ex potestate praefectis urbis concessa. Et mirandum profecto est, magistratui tam multis tantisque potestatibus ornato hoc unum non concessum fuisse, imprimis quum fieri potuisset, ut reges et tribuni Celerum simul abessent, et comitiorum habendorum necessitas obveniret. Statuendum igitur est, aut regibus profectis omnino nulla comitia esse habita, aut tribunum Celerum semper Romae remansisse, aut praefectos urbis comitia habere potuisse.[19])

---

[16]) Liv. I. 59.

[17]) Liv. I. 60.

[18]) Dionys. Hal. IV. 71. — Becker-Marq. II. 1. p. 338.

[19]) Beckerus pluribus locis hanc potestatem praefectis defuisse contendit. A. R. II. 1. p. 338; 2. p. 148. Nititur imprimis Dion. Hal. A. R. IV. 71 verbis, qui dicit, Lucretium a Bruto, tribuno Celerum, interregem esse creatum, et ex potestate interregi concessa consulum comitia habuisse. Quibus Dionysii verbis seducti nonnulli confirmare veriti non sunt, praefectos U. interregis quoque munere semper esse functos. Sed errant; praef. enim U. a rege designabatur, interrex vero e senatu prodiit. Fieri tamen potuit, ut, qui praefectura functus erat, interrex a senatoribus crearetur. — Sed ut ad rem nostram transeamus, verbis Dionysii tanta fides non est habenda, inprimis quum tota narratio talis sit, quae suspicionem fabulae atque narrationis commenticiae moveat. (Cfr. quoque Becker. II. 1. p. 358 not. 56.) Neque vero Beckerus ipse sibi constare videtur. Cfr. II. 1. p. 360 comp. c. p. 338. Dicit Beckerus, praefectum U. facultatem habuisse cum populo in concionibus communicandi; conciones igitur habere potuit. Regum vero temporibus, ut ipse

§. 2. Utut est, auctoritas praefectorum urbis summa erat et regiae potestatis speciem prae se ferebat. Id quod fuisse in causa putat Drackenborchius, ut primis rei publicae temporibus hic magistratus locum non obtineret, quamquam expulsis regibus Romani quotannis gravissimis infestarentur bellis et consules rei gerendae causa diu domo abesse coacti essent[20]). Primis enim liberae reipublicae annis nullius praefecti urbis mentionem faciunt scriptores, ex quorum alto silentio certo effici videtur, praefectos urbis primis reipublicae annis non fuisse in civitate, et morem vetustum illum praefecti instituendi aliquamdiu esse intermissum. Num vero id factum sit timore et odio regiae potestates pro certo affirmari non potest[21]), suspicari tamen id possumus. Licet enim prioribus reipublicae annis fere moris fuerit, ut consulum alter tantum ad bellum proficisceretur, remaneret alter, tamen non raro factum est, ut uterque abiret[22]).

Quo vero anno vetustus ille mos repetitus sit, pro certo dicere non possumus. Incertum enim faciunt diversi auctores. Livius primum sub consulum imperio praefectum urbis nominat Q. Servilium, qui an. U. C. 289 (a. Chr. 465) hoc munere functus est[23]); Dionysius vero Halicarnassensis, siquidem Corsini interpretationem veram rectamque accipere velimus, multos ante Servilium, cuius praefecti nullam facit

---

dicit Beckerus, inter coucionem et comitia haud multum intererat, ita ut omnes populi conciones nominarentur comitia; comitia vero, quae tamen ex Beckeri interpretatione eandem habuerunt vim ac conciones, praefecti habere non potuerunt; quid igitur iis profuit facultas communicandi cum populo? Denique Beckerus intactam relinquit quaestionem, a quo habita sint comitia, simul profectis rege et tribuno Celerum. Becker A. R. II. 1. p. 360. Cfr. quoque Zumptius „Das Kriminalrecht der roem. Republ.“ 1865. Berol. I. p. 50 sq.

20) Cfr. Drackenborch. l. l. p. 9.

21) Id quod fecit Drackenborch. l. c.

22) Vide quos locos congessit Beckerus II. 2. p. 119. not. 60.

32) Liv. III. 3.

mentionem [24]), exhibet praefectos urbis in libera civitate constitutos, primumque iam ad annum U. c. 258 (a. Ch. 496) adseribit [25]); Lydus denique vigesimo tertio a consulatu anno praefecturam urbanam institutam dicit [26]).

Quapropter nobis aut statuendum praefecturam urbanam nunquam intermissam fuisse, ita ut ab initio reipublicae data occasione praefecti urbis instituerentur a consulibus [27]), aut, si quam intermissionem factam statuere et tempus repetiti moris definire velimus, acquiescendum est in Livii testimonio, idque eo magis, quod Dionysius quoque consentire videtur. Etenim si ea, quae ad probandam suam de continua praefectorum urbis serie sententiam Corsinus ex Dionysii libris

---

[24]) Exhibet quidem Dionysius nomen Q. Servilii, sed consulis, non praefecti. (Dion. H. A. R. IX. 57. Liv. II. 64.) Corsinus, qui aut Livii locum citatum non novit, aut nimiam Dionysii verbis fidem habuit, Q. Servilium praef. U. non adnumeravit.

[25]) Cors. p. 8. v. Com. nost. p. 11. not.

[26]) Ioannes Laurentius Lydus, qui saeculo p. Ch. n. sexto floruit, conscripsit librum: de magistratibus Romanis, qui quidem liber auctoritatem suam habet, multis tamen scatet ineptiis, ita ut nisi summa prudentia adhibita huius auctoris testimonio uti non possimus. Scribit vero hic: Lydus: de neg. I. 38 haec: „τῷ δὲ εἰκότῳ τρίτῳ τῶν ὑπάτων ἔτει εἰς τρεῖς μοίρας διηρέθη τὰ τῆς ἄρχης, εἰς τοὺς ὑπάτους, εἰς τὸν τῆς πόλεως ὕπαρχον καὶ τὸν δῆμον, καὶ οἱ μὲν ὕπατοι διώκουν τοὺς πολέμους, ὁ δὲ δῆμος ἐστρατεύετο· ὅγε μὲν ὕπαρχος τὴν πόλιν ἐφυλάττε, custos urbis προσαγορευόμενος, ὡςανεὶ φύλαξ τῆς πόλεως.“ Quae Lydi verba respicientes et Lydo iusto maiorem attribuentes auctoritatem, viri docti multa et varia coniecerunt. Niebuhrius H. R. II. p. 133 praefecturam ab hoc anno comitiis curiatis datam esse petentibus, electosque pro natura et officiis muneris dictos esse „custodes urbes,“ contendit. Franck. l. c. p. 13 sq. hoc anno vetustum illum regum morem, virum gravem et nobilem civitate praeponendi, dum ipsi abessent, repetitum esse contendit, et, ut auctoritati Lydi succurrat, locum affert ex Dionysio VIII. 84, illumque auctorem cum Lydo consentire studet probare. Sed ut infra videbimus, Franckius quoque errat.

[27]) Id quod verisimillimum putat Becker. II. 2. p. 146.

affert testimonia perlustramus, invenimus, Corsinum iusto plura, quam insunt, Dionysii verbis inesse voluisse[28]). De

[28]) Corsinus, vir ceterum doctissimus, qui in libro suo „de praef. urbis“ doctrinae atque indefessae diligentiae documentum reliquit, nimiam vero adeptus est auctoritatem, duos ante Servilium praefectos U. nominat, quorum unum ter hoc munere functum esse contendit. Nititur, ut iam diximus, Dionysii verbis, quae tamen male interpretatus est. Ad an. U. c. 258 (a. Ch. 496) adscribit Corsinus p. 8: Spurium Lartium Flavum I., qui anno 256 (a. Ch. 498) primus fuit dictator. Affert Corsinus ad probandam sententiam Dionysii verba haec: (A. R. V. 75) „τὴν δὲ καταλειπομένην μοῖραν τὸν ἄδελφον Σπόριον Λάρκιον ἀντὴ φρουρεῖν τὴν πόλιν ἐτάχθη ἐντὸς τείχεος μένουσα — at illi, quae erat reliqua, fratrem Spurium Lartium praefecit, eaque iussa est, manere in urbe eique praesidio esse.“ Sed neque in antecedentibus neque in sequentibus praefecturae urbis mentio fit. Narrat hoc capite Dionysius, Spur. Lartii fratrem, consulem h. t. milites in quatuor distribuisse partes, et uni fratrem suum praeposuisse. Ex eo igitur, quod Spurius Lartius parti exercitus ad urbis custodiam relictae praepositus est, concludit Corsinus, Sp. Lartium fuisse praef. U. — Anno U. c. 262 (a. Ch. 492) praefectum U. fuisse Titum Lartium Flavum contendit Corsinus, probatque sententiam suam verbis Dionysii (A. R. VI. 42) hisce: τὴν πόλιν ἅμα τοῖς γεραιτέροις καὶ ολίγῳ τινὶ στρατεύματι ἀκμαίων Τῖτος Λάρκιος ἐφύλαττεν — ad urbis custodiam cum senioribus atque exigua quadam iuniorum manu Titus Lartius relictus est.“ Cors. p. 9. — Sed ex eo, quod Titus Lartius cum militum manu in urbe relictus est, sequi non potest, Titum fuisse praefectum urbis. — Maiorem vim habere videntur verba Dionysii, ex quibus secundam Spurii Lartii Flavi praefecturam probare studet Cors. p. 9. Quae verba Franckium quoque commoverunt, ut Spurium Lartium praefectum urbis diceret. Franck. l. l. p. 14. Sunt vero Dionysii verba haec (A. R. VIII. 64): „τὸν δε λοιπὴν τρίτην μερίδα παραλαβόντα Λάρκιον Σποριον, ὅς ἦν ἀποδεδειγμένος ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἔπαρχος, τὴν ἔγγιστα τῆς πόλεως χωραν φυλάττειν (scil. ἐψηφίσατο ἡ βουλὴ) — Verbum ἔπαρχος omnes in errorem induxit. Quod enim verbum post ἔπαρχον supplendum est? Sine dubio τῆς πόλεως. Sed neque in antecedentibus neque in sequentibus urbis mentio fit. Dionysius autem nomine ἔπαρχον nude posito praefectum urbis non significat nisi iam antea de urbe eiusque cura sermonem fecit. Supplendum potius est loco citato: τῆς τρίτης μερίδος. Elucet hoc praecipue ex verbis sequentibus, τὴν ἔγγιστα κ. τ. λ. Ἔπαρχος τ. τρ. μ. igitur factus est Lartius, qui

Lydo, auctore levi nec satis fido, non est, quod multa dicamus [29]).

Nominantur post Servilium praefecti urbis Quintus Fabius Vibulanus, Publius Lucretius, et Q. Fabius Vibu-

---

proximas urbis regiones custodiret, ne hostes, quos urbem invasuros esse nuntiatum erat, usque ad urbem accedere possent. — Eundem Spurium Lartium tertio praefectum urbis fuisse an. U. c. 247 (a. Ch. 480) contendit Corsinus p. 10, haec afferrens Dionysii (A. R. VIII 90) verba: ἀποδείκνυται μεσοβασιλεὺς Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος, οὗτος ἕτερον ἀποδείκνυσιν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν, Σπόριον Λάρκιον, κἀκεῖνος ἀποδείκνυσιν ὑπάτους Γάϊον Ἰούλιον καὶ Κόιντον Φάβιον, — interrex Aulus Sempronius Atratinus creatus est, iste alium, prout est eorum mos, Spurium Lartium creavit interregem e. q. s." Sed sibi ipsi non satis confidens Corsinus statim adiicit: „Video quidem quod Spurius Lartius hic a Dionysio non „praefectus" vocatur; sed observari etiam velim, quod Dionysius ipse, dum Spurii Lucretii munus ac dignitatem exprimit, ipsum μεσοβασιλέα, interregem, appellat, quamvis ille in Livio (I. 60) praefectus urbis dicatur; quod argumento esse poterit, magistratum illum, qui consulibus vel absentibus vel in ordinem reductis urbi praeerat habendisque comitiis praesidebat, interdum etiam primis illis temporibus interregis nomine dicere consuevisse." Quid ineptius dici potest? Probandum primum erat, praefectos urbis semper interregis munere functos esse, eumque, qui interrex nominatus esset, simul praefectum urbis fuisse. Ineptissime vero Cors. Livii v. I. 60 confert cum Dionysii verbis A R. II. 12. Etenim ex eo, quod Livius Lucretium dicit praef. U., et Dion. eundem nominat interregem, colligi non potest, Lartium interregem fuisse praef. U. eo quod interrex fuerit. Sunt igitur quos ab anno 496 a. Ch. U. u. a. an. 486 affert Cors. praef. U. delendi et series ita constitueuda:

1. Denter Romulius. Tacit. Ann. VII. 11.
2. Numa Marcius. Tac. l. c.
3. Spurius Lucretius. Tac. l. c. Liv. I. 59. 60.
4. Quintus Servilius (289 U. c. — 465 a. Ch.) Liv. III. 3.
5. Quintus Fabius Vibulanus (293 U. c. — 462 a. Ch.) Liv. III. 8. Dionys. IX. 69.
6. Publius Lucretius (296 U. c. — 459 a. Ch.) Liv. III. 24. Apud Dionysium nomen deest.
7. Q. Fabius Vibulanus iterum praef. U. (296 U. c. — 458 a. Ch.) Liv. III. 29. Dionys. X. 13 sq.

[29]) De auctoritate, quam habere possimus Lydo cf. Beck.-M. II. 124.

lanus iterum praefectus [30]), qui vir seriem pr. U. in republica libera constitutorum finit. Postquam enim decemviris scribundis legibus creatis omnes magistratus abrogati summumque omnium rerum imperium ad decemviros delatum est [31]), praefecti urbis non instituebantur, quum unus ex decemviris urbis custodiam, praefectorum munus et officia sustineret, dum reliqui rei gerendae causa Roma abessent [32]). Neque vero sub tribunorum militum consulari potestate imperio praefecti urbis instituti sunt. Quum enim plures crearentur tribuni militum et ad plures deferreretur imperium, unus suscepit urbis curam, qui ceteris tribunis profectis, auctoritatem collegarum et potestatem sustinuit [33]). Itaque extraordinario magistratu opus non fuit. Nominantur quidem apud scriptores tribuni militum, qui collegis profectis urbis curam gerebant, praefecti urbis [34]). Sed eodem iure etiam consul, qui altero profecto in urbe remansit, urbi igitur praefuit, nominari potest praefectus urbis [35]).

---

[30]) Cf. p. 11. Com. n. not. nro. 5—7.

[31]) Cic. de republ. II. 36. de Legg. III. 8. Liv. III. 32. Dionys. Hal. A. R. X. 36. Zonar. VIII. 18. Pompon. de orig. iur. Dig. I. 2 §. 24.

[32]) Decemviri non omnes simul aberant, sed unus vel plures, reliquis profectis remanebant. Anno 305 quum bellum in Sabinos Q. Fabio, M. Rabulio mandatum, M. Cornelius autem cum quatuor collegis in Algidum missus esset, Ap. Claudius et Spur. Oppius urbis curam et custodiam susceperunt. Liv. III. 11. IV. 59. V. 1 sq. Dion. Hal. A. R. XI. 33.

[33]) Tres vel quatuor vel sex tribuni militum creabantur, quorum uni urbis cura mandabatur, ceteri ad rem gerendam proficiscebantur. (Liv. IV. 31. 36. 45. 49.) Interdum vero pluribus urbis cura committebatur, ut ex Liv. VI. 6 elucet.

[34]) Liv. IV. 31: „tribuni militum creati sunt quatuor, Tit. Quinctius, Pinnus, C. Furius, M. Posthumius, A. Corn. Cossus, et ex his Cossus urbi praefuit.“ Cf. IV. 36. — Ab Almelovenius, qui in libro suo: „Fasti Romani 1740. Amst. ed. II. seriem praef. U. R. et Const. exhibet, pag. 477—512 hisce, adnumerat L. Cornelium Cossum, Liv. IV. 59 verba respiciens, et Appium Claudium Crassum, cuius mentionem facit Liv. V. 1. 2.

[35]) Recte igitur Corsinus hos viros praefectis U. non inseruit neque vero Contelorius „d. praef. U. R.“ (in Sallengri Thes. I. p. 518—563),

Postquam lege Licinia plebeji obtinuerunt, ut unum e plebe fieri oporteret consulem, praefectorum urbis magistratus abrogatus est. Patricii enim, quorum in manibus usque ad id tempus summa fuerat potestas, haud ferendum esse rati, suas causas a consule e plebe creato dijudicari, obtinuerunt, ut iurisdictionis in urbe potestas consulibus abrogaretur et ad praetorem urbanum ex patriciis tantum eligendum deferretur, qui non solum absentibus sed etiam praesentibus consulibus ius in urbe diceret[36]). Quo novo praetoris urbani magistratu instituto vetustus ille praefectorum eligendorum mos est missus[37]). Consules enim, quoties rei gerendae causa domo abesse cogebantur urbis custodiam una cum potestate, qua opus erat, praetoribus, qui iisdem quibus consules auspiciis creabantur eorumque collegae habe-

---

qui tamen duos exhibet praefectos, Q. Servilium eiusque filium, in testimonium afferrens verba Alexandri ab Alex. Gen. dus. VI. 22. Confundit vero sine dubio hunc praefectum cum illo praefecto eiusdem nominis, de quo iam supra diximus.

[36]) Liv. VI. 42. De causis, quibus commoti patricii praeturae urbanae institutionem postulassent, optime disseruit Niebuhr. H. R. III. p. 37 sq.

[37]) Drackenborchius l. l. p. 11 putat, singulari casu a. U. c. 406, quo tempore unus tantum praetor urb. exstitisset, nominatum esse praefectum urbis. Hoc tempore Romani cum Gallis bellum gerebant F. Camillo et P. Cl. Crasso Css. Crasso autem mortuo Camillus, ad quem res gerendae redierant, milites divisit; quatuor legiones sibi elegit, quatuor legionibus praefecit praetorem urb, qui oram maritimam tueretur. Deinde, quum Gallicum bellum sibi extra sortem sumpsisset, Roma discessit „duabus legionibus urbi praepositis.“ Liv. VII. 25. Inficiandum quidem non est, Drackenborchii coniecturam esse sagacem; monendum vero est, primum scriptores praefecti. U. hoc tempore instituti mentionem nullam fecisse; deinde ex Livii verbis id tantum colligi posse, Camillum in urbe duas legiones praesidio reliquisse; denique, Camillum consulem praefectum U. instituere non potuisse, quum praetoribus urb. institutis potestas iuris dictionis in urbe consulibus abrogata esset, ideoque Camillum militibus ducem imponere potuisse, iurisdictionem vero in urbe, quam antea praef. U. habuerant, delegare non potuisse.

bantur, committebant, ita ut praetor urbanus easdem haberet potestates et facultates, quae antea praefectis urbis erant concessae[38].

Praefecti enim urbis sub consulum imperio constituti primum præerant iurisdictioni et cognitionem habebant de omnibus causis, quamquam graviores res in consulum reditum distulisse videntur[39]; deinde ius habebant senatum convocandi et ad eum referendi atque in concionibus cum populo communicandi[40], facultatem habebant eas omnes res instituendi, quae ad urbis custodiam spectarent. Quapropter copiis, quae in urbe remanebant, præerant, et „armata iuventute dispositisque praesidiis tuta omnia atque tranquilla fecerunt“. Ubi vero res postulabat, arma parandi et milites scribendi ius habebant eorumque ipsi erant duces[41].

§. 3. Per tria fere saecula praefecturae nomen auditum non est: praetores urbani, ut iam diximus, data occasione praefectorum munia obibant. Interea Romani imperium omnium gentium adepti sunt, nominisque sui et armorum gloria orbem terrarum impleverunt; summa in re publica potestas a patriciis post longas et atroces discordias cruentaque certamina ad mobilem transiit multitudinem, quae ex longo iam tempore a maiorum virtute degenerata imperium orbis terrarum paucis viris ambitiosis commisit moxque in Iulii Caesaris arbitrium et voluntatem cessit. Quo Caesare gubernacula civitatis tenente vetustum illum praefecti instituendi morem repetitum esse viri docti volunt.

Anno enim U. C. 707 (a. Chr. 47), ut Dio Cassius narrat, Marcus Antonius Mag. Eq., qui Caesare dictatore in pacandis orientis partibus occupato Italiam et urbem regebat, quum

---

[38]) Liv. XXIV. 9. X. 22. Cic. ad fam. X. 12.

[39]) Tac. Ann. VI. 11. Pomp. d. or. iur. §. 24.

[40]) Liv. III. 9. IV. 6. Varro ap. Gell. N. A. XIV. 7. Becker-Marq. II. 2. p. 403. II. I. p. 360.

[41]) Liv. III. 8. IV. 46. V. 10. VI. 6.

ad seditiosas legiones coërcendas in Campaniam decedere coactus esset, avunculum suum, L. Caesarem, virum decrepitae iam senectutis, praefectum urbis reliquit Romae[42]. Consuetudinem veterem diu vero intermissam referens, M. Antonius fines quidem potestatis suae egressus est[43], sed egit omnino ex sententia Caesaris, qui quum anno proximo ad debellandos Pompeianos in Hispaniam proficisci coactus esset, A. Lepidum cum sex vel octo aliis urbi custodiendae et adadministrandae praefecit[44]. Idem sequenti quoque anno fecisse Caesarem Dio Cassius refert[45]. Adnumerant ideo viri docti et L. Caesarem, Lepidum et octo illos praefectis urbis eorumque numero inserunt, quamquam valde dubitandum est, num iure id fecerint[46].

Utut est, elucet ex his, de repetendo vetusto illo more cogitasse Caesarem, qui fortasse id, quod nonnullis annis post ab alio factum accipimus, ipse instituisset, nisi praematura mors prohibuisset eum, quominus consilia sua, superba quidem, reipublicae tamen salubria ad effectum adduceret. Quae consilia exsequenda et perficienda suscepit nominis ac divitiarum Caesaris heres Octavianus, qui quod mente cogitaverat avunculus feliciter est persequntus, totiusque imperii Romani dominationem adeptus est. Sed longum

---

42) Dio Cass. XLII. 50.

43) Dio Cass. l. c.: „ὁ μὴ πωποτε τῷ ἱππάρχῳ ἐξουσία ποιεῖν ἦν."

44) Dio Cass. XLIII. 28. — Suet. J. Caes. 96: quo in loco non „praesente se" sed „absente se" legendum esse optimi docent codices.

45) Dio Cass. XLIII. 48.

46) Cors. p. 13 sq. — Drackenb. p. 12 sq. Franck. l. c. Diximus vero, valde dubitandum esse, num recte id fecerint viri docti Quod enim Caesarem adtinet, is illegitime institutus est a Lepido, M. E., qui praefecti instituendi ius ac potestatem non habuit; hoc igitur facto leges transgressus est. Quod vero octo illos a Caeeare institutos praefectos attinet, dicendum primum, Lepidum Romae relictum esse magistrum Eq., non praefectum; deinde vero hos praefectos apud Dionem non πολίαρχοι, sed πολιάνομοι nominari, quae verba non unum idemque significant.

est neque necessarium exponere, quibus rebus id assequntus sit Octavianus, qui gubernacula civitatis tenenti non opus esse nominibus inanibus ratus maluit habere summam rerum potestatem, quam nomen splendidum, sed potentia carens[47]. Quam potestatem senatus populusque Romanus post tam diuturna tamque cruenta bella pacis dulcedine capti Octaviano, studium conservandae rei publicae liberae acerrimum simulanti, libenter et sponte obtulerunt, eum ornantes consulari et proconsulari[48] imperio, censoris honore[49], tribunicia potestate[50] simulque edictis eius legis valorem adtribuentes[51].

Multa vero erant in civitate, quae minus bene convenirent cum novo rerum ordine, quaeque in pristinam virtutem reducta dominationi nocere possent. Quamobrem et multas suis consiliis faventes leges curavit ferendas Octavianus et novos excogitavit magistratus, quibus tamquam fundamentis firmissimis imperatores insistere possent. Neque vero magistratus in re publica constitutos abrogare ausus est, sed potestates illorum paulatim imminuendo et magistratibus novis a se creatis attribuendo vel summos rei publicae honores vacua reddidit nomina, tantaque fuit Augusti calliditas et prudentia, ut novis magistratibus indueret nomina in re publica usurpata, ne quidquam immutasse videretur. Hisce magistratibus adnumeranda est praefectura urbana, quem

---

[47]) Hökh R. G. I. p. 303 — 426. Schmidt: „Umbildung d. roem. Republik in die Monarchie“ in „Allg. Zeitschr. f. Gesch.“ IX. p. 326 sq. 413 sq. — Dio Cass. LIII. 17.

[48]) Dio Cass. LIII. 17. 32. LIV. 10. LVIII. 2. — Spart. Hadr. 7. Sever. 7.

[49]) Dio Cass. LII. 42. LIV. 14. 17. 19. 26. Suet. Oct. 35.

[50]) Dio Cass. LIII. 17. Hanc potestatem summam putabant imperatores; quapropter annos dominationis suae ex eo tempore numerabant, quo tribuniciam potestatem acceperunt. Tacit. An. III. 56. Vopisc. Tac. 1.

[51]) Dio. LII. 15. LIV. 10. LVI. 28. Pompon. de orig. iur. in Dig. I. 2.

quidem magistratum Octavianus non invenit neque recens instituit, tantopere vero immutavit, ut prorsus novus esse videretur [52]).

Accepit a patre morem instituendi viros probatos, qui imperatore absente urbi præessent eiusque curam gererent, et imitatus est Octavianus patrem. Quum enim anno U. c. 718 (a. Chr. 36) adversus Sextum Pompeium expeditionem fecisset, C. Cilnio Maecenati, amico suo, urbis et Italiae tutelam detulit, sed non, id quod haud praetermittendum, sub nomine praefecti [53]). Eundem Maecenatem una cum Agrippa a. 723—24 Romae reliquit, qui urbi et Italiae prospicerent et quae necessaria, instituerent [54]). Denique nonnullos annos post, quum Augustus in Sicilia versaretur et Romae in consulum comitiis turbaé essent exortae, ita ut imperator revocaretur, praefecit urbi et Italiae, quoniam ipse reverti non posset, Agrippam et, ut maiorem ei dignitatem et auctoritatem conciliaret, filiam suam Iuliam ei uxorem dedit [55]).

Vetustus autem ille mos, ex quo profectis tantum summis magistratibus et in tempus praefecti instituebantur, parum idoneus parumque sufficiens visus est. Expertus enim erat Octavianus multitudinis levitatem et mobilem animum, quae novo

---

[52]) Ea de causa Suetonius Oct. 37 praef. urb. inter magistratus novos ab Augusto excogitatos recenset.

[53]) Tacit. An. VI. 11. Vellej. Pat. II. 88. Dio Cass. XLIX. 16. Maecenatem non inter praefectos urbi recensendum esse, iure contendit Hoekhius, l. c. I. p. 823, qui „Mäcenas“ inquit, „war keineswegs öffentlich bestellter und anerkannter Stadtpraefekt, und eben so wenig floss, was Agrippa that, aus der Machtfuelle irgend eines Amtes. Beide handelten lediglich im Privatauftrage Octavians.“

[54]) Dio Cass. LI. 3. Vell. Pat. II. 88. Horat. Sat. II. 6. 58. Summam hisce duobus potestatem detulit Octavianus, iisque eas, quas ad senatum daret litteras, antea legere et corrigere, ob eamque causam ipsius sigillo uti permisit. Plin. H. N. 37. 4.

[55]) Dio Cass. LIV. 6.

rerum ordini se subjicere nolens novas semper et atroces excitavit seditiones, ad quas reprimendas Octavianus saepius Romam redire coactus erat. Plurimis deinde negotiis, ut in recens instituto imperio fieri solet distractus probe intellexit, in tanta imperii ne satis quidem pacati magnitudine neque se solum gubernaculis regendis parem futurum, maximeque urbem tot tamque diversarum partium sedem nova aliqua potestate coercendam et in officio tenendam esse. Quapropter Maecenate amico suadente [56]) constituit praeficere urbi virum probatum, qui perpetuam urbanarum rerum curam gereret et populum ferocem atque usque libertatem spirantem in officio teneret, et huic magistratui, tamquam nihil nisi veterem referens morem, dedit nomen „Praef. Urbi". Nomine quidem hic praefecturae urbanae magistratus cum vetere illa pridem intermortua congruebat, re autem magnopere distabat [57]). Praefecti enim sub consulum imperio constituti iudicabant ex mandato consulum, honorem agebant extraordinarium et ad parvum temporis spatium, quamdiu scilicet consules aberant, denique salutis rei publicae causa instituebantur; praefecti vero ab Augusto instituti iudicabant vi sui magistratus, honorem administrabant ordinarium et perpetuum, denique instituti sunt non rei publicae conservandae causa, sed ut, ex solo imperatorum arbitrio pendentes, illorum consiliis faverent et quum urbem in officio tenerent tum imprimis seditionibus reprimendis prohiberent, quominus imperatorum dominatus in discrimen vocaretur [58]). Quapropter etiam is, quem primum praefectum urbi nominavit Augustus, Messala Corvinus, sexto die magistratu se abdi-

---

[56]) Dio Cass. LII. 1 sq.

[57]) Drackenb. p. 18 sq. qui contra Torrentium ad Suet. Oct. 37 probare studet, praefecturam ab Augusto institutam prorsus novum fuisse magistratum. Sed studet probare — non probat.

[58]) Becker-Marq. II 3. p. 276. — Hoekh. I. p. 514.

cavit, non solum „quasi nescius exercendi“ [59]), sed potius „incivilem potestatem eam ratus“ [60]). Instituit vero Augustus praefecturam urbanam anno U. c. 737 (a. Chr. 17) et, Messalae obstinatione nihil moratus, praefecturam mandavit Statilio Tauro, qui, quamquam provecta aetate, munus tamen egregie toleravit. [61])

Quae instituerat Augustus, successores eius prudenter observarunt, cognoscentes, Augustum institutionibus novis faciendis optime dominationi firmae diuturnaeque consuluisse, sibique tantum in via monstrata progrediendum esse. Praefectorum quoque urbi munus sub imperatoribus locum suum obtinuit, et multi imperatores, vim huius magistratus et utilitatem perspicientes, officia et munera huius magistratus amplificare et auctoritatem augere studuerunt. Sed non omnes eodem studio neque eadem prudentia imperatoris munia gravia obibant; multi enim libidinibus dediti et in segnitiem socordiamque resoluti imperium parum curarunt et potestatem regiam exercendam aliis viris ambitiosis permiserunt. Cuius rei ansam praebuit ipse Augustus, qui, intelligens maximam partem in militum virtute et obedientia dominationem suam positam esse, cohortibus praetoriis, quibus custodiae causa corpus suum circumsepserat quaeque militum robur habebantur, praefecit praefectos praetorio, iisque satis magnam potestatem concessit. [62]) Is quidem, non ignorans hanc potestatem si ad unum defereretur, nimis periculosam fieri posse, duos instituit praefectos praet., ut potestas concedenda inter duos distributa minus periculosa fieret [63]); deinde vero, ne milites praetoriani nimiam adi-

[59]) Tacit. Ann. VI. 11.

[60]) Hieronym. ad Euseb. Chron. Ol. 188. 9. = 27/26 a. Chr.

[61]) Fischer: Roem. Zeitl. p. 401 et 404. Hoekhius: R. G. I. p. 412.

[62]) De institutione praef. praet. cf. Dio Cass. LII. 24. LIV. 10; Lyd. de mag. II. 6. 13.; Suet. Oct. 49.

[63]) Dio Cass. l. c. — Herodian I. 9.

piscerentur vim, nunquam „plures quam tres cohortes in urbe esse passus est easque sine castris, reliquas in hiberna et aestiva circa finitima oppida dimittere assuerat.“ [64]) Successores vero Augusti prudentiam negligentes mox hanc terribilem potestatem ad unum deferri passi sunt [65]); quo factum est, ut praefecti praetorio mox iusto maiorem obtinerent potestatem et magis timerentur quam imperatores ipsi, quorum collegae esse videbantur. [66]) Accedit quod Seianus ille, qui Tiberio regnante solus exstitit praefectus praet. „vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conduceudo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteris metus oreretur.“ [67])

Videmus ideo sub imperatoribus, peioribus imprimis, praefectos praet. summa rerum potestata pollentes. Seianum iam nominavimus; Claudio imperante Burrus Praef. pr. regnabat [68]); Commodo imperante Perennis tanta valebat auctoritate ut Commodus nunquam facile procederet neque quicquam sibi nuntiari pateretur, nisi quod Perennis ante trac-

---

[64]) Suet. Oct. 49.

[65]) Sub Tiberio unus tantum exstitit praef. praet., Seianus. (Dio Cass. LVII. 19.), Caligula duos instituit (Suet. Cal. 56. Zon. XI. 6), Claudius Agrippina suadente unum tantum nominavit praef. praet. (Tacit. An. XII. 42.). Sub Nerone duo erant praef. pr. (Tacit. An. XIV. 51. Dio Cass. LXII. 13. Plut. Galba 8.). Sub Galba, Antonin. Pio et Sept. Severo hoc munus uni erat mandatum. (Tacit. Hist. I. 13. Capit. Ant. P. 8. Dio Cass. LXXV. 14.) Nonnunquam etiam tres simul exstiterunt praef. praet. (Lampr. Com. 6. Spartian. Jul 7. Sept. Sev. 6.) Post Alexandrum Severum imperatorem plerumque duo instituebantur; Constantinus M. quatuor instituendos decrevit.

[66]) Tac. An. IV. 1. 2. VI. 8. Aurel. Vict. Caes. 9. Lamprid. Com. 5 Plut. Galba 8. Herodian. V. 1. Dio Cass. LVII. 19. LVIII. 4. 9. LXXII. 9. Zosim. II. 32. Lyd. de magistr. I. 10. II. 9.

[67]) Tac. An. IV. 2.

[68]) Tac. An. XII. 42.

tasset.[69]) Qui praefectus praetorio, ut iam Lampridii utar verbis, „cuncta sibimet vindicavit; quos voluit interemit, spoliavit plurimos, omnia iura subvertit, praedam omnem in sinum contulit.“ [70]) Primis Severi imperatoris annis Plautianus praef. praet. unus fere omnem omnium potestatem habebat et ad suum arbitrium summae rerum praeerat.[71]) De quo viro, quem nihil minus quam regnum appetivisse constat, Dio Cassius dicit: *„ἀφ' οὗ δὴ οὐκ ἀπεικότως ὑπὲρ πάντας τὸν Πλαυτιανὸν. καὶ εἰς αὐτοὺς τοὺς αὐτοκράτορας, ἰσχῦσαι ἄν τις εἴποι. τά τε γὰρ ἄλλα καὶ ἀνδριάντες αὐτοῦ εἰκόνες οὐ μόνον πολλῷ πλείους, ἄλλα καὶ μείζους τῶν εκείνων, οὐδ' ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι μένον, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ, οὐδ' ὑπὸ ἰδιωτῶν ἤδη μόνον, αλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς γερουσίας ἀνετίθεντο· τὴν τε τύχην αὐτοῦ πάντες οἱ στρατιῶται καὶ οἱ βουλεύται ὤμνυσαν καὶ ὑπὲρ τῆς σωτηρίας αὐτοῦ δημοσίᾳ ἅπαντες ηὔχοντο.*[72])

Praefectis vero praetorio ad tantam potestatem profectis fieri non potuit, quin praefectorum urbi potentia et gravitas imminueretur, Multis enim in rebus, ut postea videbimus[73]), praefecti urbi de potestate certabant cum praefectis praetorio, qui omni modo suam auctoritatem augere maioremque potestatem sibi comparare studebant. Quo factum est, ut scriptores primi et secundi p. Ch. saeculi saepius praefectorum praet. mentionem facerent, de praefectis vero urbi perpauca tantum traderent.[74]) Nihilominus praefectura urbana locum suum obtinuit, et haud pauci praefectorum

---

[69]) Lampr. Com. 5.

[70]) Lamprid. Commod. 5.

[71]) De Plautiano cf. Dio Cass. LXXVI. 1—7. LXXVIII. 11. 22. 24.

[72]) Dio Cass. LXXV. 14.

[73]) Cf. Cap. III. nost. Com.

[74]) Corsinus quidem l. l. multorum praef. U. nomina exhibet, sed testimonia, quibus nititur, saepe leviora sunt, quam ut iis fidem habere possimus.

gravem severamque sustinuerunt personam atque ex administratione bona magnos adepti sunt honores. Tiberio regnante Lucius Calpurnius Piso multos per annos praefecti U. munere functus officiumque suum diligentissime administravit.[75])

Sub Caligula tyranno Sanquinius Maximus praefectus urbi fuit[76]), sub Nerone Pedanius Secundus[77]) et Titus Flavius Sabinus, quorum postremus cum populi probatione munere praefecti U. functus esse videtur[78]), quemque, postquam

---

[75]) Tac. An VI. 11. Senec. Ep. 83. — Corsinus post Statilium Taurum praefectos U. nominat 1) Paulum Aemilium Regillum 14 p. Ch. 2) Caium Pomponium Flaccum 17 p. Ch. 3) Lucium Aelium Seianum 23 p. Ch. 4) Pisonem denique, quem anno 26 p. Ch. demum praefectum fuisse contendit. Haec statuens Corsinus conatus est novam interpretationem et emendationem verborum, quae leguntur ap. Tacit An. VI. 11 quaeque depravata videntur. Legimus enim h. l. „dein Piso (praefectus urbi) viginti (XX) per annos pariter probatus.“ Mortuus autem est Piso an. 785 U. c.; igitur iam anno 765 U. c. praefectus U. institutus est. Pisonem autem praefecit Tiberius imperator, qui anno demum 767 U. c. (14 p. Ch.) Augusto successit. Emendatione igitur egere videntur verba Taciti Nipperdeius et Halmius scribunt „quindecim“; Franck. l. l. p. 26 „duo de viginti“; Corsinus „sex“; Lipsius denique in Comm. ad h. l. „decem.“ Qui autem numerus scribendus sit, explorari non potest Etenim ex Suetonii verbis (Tib. 42), quibus Corsinus nititur, id tantum colligi potest, Pisonem a Tiberio in regnum succedente urbi praepositum esse

[76]) Dio Cass. LIX. 18. Cors. p. 38.

[77]) Tacit. An. XIV. 42. Cors. p. 42 hunc an. 61 p. Ch. praefectum fuisse contendit.

[78]) Huius viri ac praefecti Tacitus saepius facit mentionem. Tac. Hist. I. 46. II 63. 88. III. 64 sq. 75. Sabinus saepius praefectus fuit et in universum duodecim per annos hoc officium sustinuit. Docet nos Tacitus haec, qui mortem huius viri miserrimam narrans atque laudes Sabini celebrans dicit: „Hic exitus viri haud sane spernendi; quinque et triginta stipendia in re publica fecerat, domi militiaeque clarus; innocentiam iustitiamque eius non argueres, sermonis nimius erat; id unum septem annis, quibus Moesiam, duodecim, quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor.“ Tac. Hist. III. 75. Mortuus autem est Sabinus an. 69 p. Ch., igitur iam anno 57 p. Ch. praefectus U. exstitisse putandus. Sed non per duodecim annos continuos hoc officium obtinuit Sabi-

Galba occisus erat Othoque in imperium successit, milites (praetor.), quorum ex arbitrio tum omnia agebantur, praefectum U. designarunt.[79]) Nominantur deinde magno cum honore Plautius Silvanus Aelianus[80]), cuius praefecti a Vespasiano instituti laudes leguntur in inscriptionibus, et Pegasus[81]), qui Domitiani temporibus praefecturae honorem gessit.

Domitiani successores, qui pacis studiosi civitatem Romanam bonis legibus ac institutionibus ordinare studuerunt, praefectorum U. quoque auctoritatem et potestatem auxisse putandi sunt. Desunt quidem testimonia, ex quibus colligere possimus, quae fecerint ad provehendam praefecturam urbanam: attamen ex eo, quod tam multorum ac clarissimorum praef. U. nomina post Traiani tempora inveniuntur[82]), atque ex aliis, quae in scriptoribus historiae Augustae leguntur, elucet, praef. U. sub his imperatoribus et auctoritatem magnam et potestatem haud spernendam esse adeptos. Legimus in vita Hadriani, Attianum, tutorem imperatoris, per epistolas Hadriano suasisse, „ut inter alios et Baebium Macrum, Praef. U. necaret, si Hadriani imperio reniteretur,“ ex quo

---

nus, verum ter hoc munere functus esse videtur. Anno enim 61 p. Ch. Sanquinius Praef. Urb. fuit (Tac. An. XIV. 42.) Galba imperatore praefecturam obtinuit Decennius Geminus. Tac. H. I. 14. Igitur Sabinus ante Sanquinium primo praefectura functus est, alteram praefecturam obtinuit sub Nerone Tacit. Hist. II. 63; tertio post Galbae necem praefecturae honore ornatus est.

[79]) Tac. Hist. I. 46.

[80]) Orelli-Henzen Insc. R. nro. 750. Ex quo lapide elucet, Plautium Aelium Silvanum sub imperatore Vespasiano praefectum U. fuisse et permultum valuisse apud imperatorem, qui Silvanum praefectum consulatus honoribus exornavit.

[81]) Huius viri, qui sub Vespasiano et Domitiano praefectus U. exstitit, mentionem faciunt Pompon. de orig. iur. (in Dig. I. tit. 2. §. 42) et Iuvenalis Sat. IV. 37. 76 sq., qui satiricus huius praefecti iuris scientiam laudat, sed mitem animum diris temporibus non convenientem leviter vituperat.

[82]) Cf. Cors. l. c. p. 57 sq.

elucet, praef. U. satis magnam habuisse potestatem, quae timeretur.[83]) Capitolinus in vita M. Aurelii Antonini, maiores huius imperatoris clarissimos enumerans, L. An. Verum et L. Cat. Severum nominat et inter honores amplissimos, quibus uterque ornatus fuerit, praefecturam quoque urbanam recenset; id quod Capitolinus non fecisset, nisi praefectorum U. munus hoc tempore aliquo fuisset in honore.[84]) Helvius Pertinax denique ex praefectura urbis ad „solium imperatorium est evectus“ [85]) et Laetus Praef. praet., quum militibus imperatorem eligendum commendaret Pertinacem: „habetis“ inquit, virum vita moderatum, militaris disciplinae peritissimum, cuius bellicum virtutem vos quidem, veterani, saepenumero experti, ceteri tot annos urbis praefectum non honore tantum, sed etiam administratione dignissimum iudicastis.“ [86]) A bona igitur administratione praefecturae urb. Pertinaci commendationem gravem proficisci Laetus putavit.

Sed iam satis exemplorum, ex quibus eluceat, praefectos U. primis saeculis locum obtinuisse eosque sub finem certe saeculi secundi potestatem et auctoritatem aliquam habuisse. Maximi vero momenti nobis est Luc. Fabius Cilo, qui Septimio Severo imperante praefectus U. exstitit. Quo cum viro nova, ut ita dicam, praefecturae urb. aetas incipit. Cilone enim praefecturae urbanae provinciam administrante tanta huic magistratui delata est potestas, ut ex hoc tempore praefecti urbi ad summam amplitudinem pervenirent eamque obtinerent vim et gravitatem, quam nunquam antea habuerant. Posterioribus enim temporibus praefectura urbana non solum amplissimus honoris gradus fuit sed etiam auctoritate et potestate alios vicit.[87])

---

[83]) Spartian. Hadr. c. 5.

[84]) Capitol. Ant. Phil. 1.

[85]) Eutrop. VIII. 16. Aur. Vict. Epit. 18.

[86]) Herodian. II. 3. Capitol. Pertin. 4.

[87]) Cassiod. Var. VI. 4. V. 42. Symm. Ep. X. 21. Codex Iust. I. 28. 3.

Quod ut fieri posset, in causa fuit, ut iam diximus, Septimius Severus, imperator ille, manu promptus, acer ingenii, quem aequales et posteri rerum Romanarum scriptores non solum ob bellicas virtutes praestantissimis adnumerant imperatoribus, sed etiam civilem ob prudentiam praedicant, ingenii sollertiam et calliditatem et in inveniendis rebus, quibus mores legesque emendari possint, sagacitatem et in perficiendis perseverantiam laudantes.

Sed priusquam exponimus, quibus rebus id factum sit et quo modo Septimius Severus praefecturae urbanae dignitatem, auctoritatem et potestatem auxerit, nonnulla de vita Fabii Cilonis nobis sunt praemonenda.

Caput II.

De Lucio Fabio Cilone, Praefecto urbi Romae.

§. 4. Disputaturis iam nobis de vita Lucii Fabii Cilonis confitendum primum est, perpaucos extare fontes, ex quibus certam aliquam cognitionem haurire possimus. Historiarum enim scriptores perpauca tantum de hoc viro nobis tradiderunt, ex quibus tamen id elucet, Cilonem virum magni fuisse momenti, nominisque sui fama aetatem suam nobilitasse. Quod vero scriptores silentio transierunt, id comperimus ex lapidibus in honorem Cilonis positis, qui imaginem quamdam vitae huius viri exprimunt, quique nos de honoribus, quibus ornatus fuerit, et de officiis, quae gesserit, certiores faciunt, ita ut, ea quae lapides nos docent conferentes cum scriptorum testimoniis, vitam huius viri componere possimus, quae, licet multa per coniecturam tantum assequi possimus, tamen a veri similitudine haud tantopere abhorreat[88]).

Quo igitur anno quoque in loco natus sit Lucius Fabius Septiminus Cilo[89]), pro certo dicere non possumus, veri

[88]) Exstant inscriptiones in honorem Cilonis compositae apud Grut. 406. 9 (= Orelli n. 3561); 406. 10 (= Böckh C. J. Gr. III. p. 776 n. 5896); 407. 1; 407. 2 (= Murat. 345. 3.).

[89]) Apud Gruterum 407. 2 legitur: „L. Fabio Ciloni Septimio"; p. 407. 2 vero „L. Fabio Ciloni Septimino"; Corsinus denique l. l. p. 205 scribendum contendit: „Septiminiano" in testimonium adhibens

simile autem est, procreatum eum esse haud multo post Septimium Severum, (quem anno 146 p. Chr. n. natum constat),[90]) cuius aequalis fuit et apud quem postea maxima valuit auctoritate, inter amicissimos Severi habitus[91]). Haud infimae conditionis et fortunae fuisse Fabium Cilonem iam ex eo colligere possumus, quod Severus imperator, quem latinis graecisque litteris instructum litterarumque studiosum fuisse scimus, Ciloni commisit filium suum educandum et instituendum[92]). Fortasse Cilo eodem tempore, quo Septimius Severus Romae Q. Cervidium Scaevolam iuris peritissimum docentem audivit[93]), operam dedit iurisprudentiae et apud eundem Scaevolam nomen professus est. Quod si verum accipimus, Cilo iam tum in Severi notitiam venit. Iuris peritum fuisse Cilonem ex eo elucere videtur, quod Septimius Severus, quo tempore imperator Romam reversus novas facturus institutiones clarissimos iuris consultos ascivit, quorum consilio uteretur, quosque summis honoribus ornavit, Cilonem quoque arcessivit eumque praefectum U. instituit[94]).

---

inscriptiones Donianas a Gorio descriptas, et Grut. 407. 2, ubi vero non „Septiminiano“ sed „Septimino“ legitur. Quae scribendi ratio vera rectaque sit, pro certo dici non potest. In prioribus Spartianae V. Car. editionibus legitur pro „Cilone“ nomen „Chilo.“ Sed „Cilo“ non solum exhibent omnes inscriptiones latinae, sed etiam Graeci scribunt „Κίλων“, non Χίλων. Cf. Dio Cass. LXXVII 22 „τὸν δὲ Κίλωνα“ Similiter inscriptio, quae una exstat Graeca, exhibet ΚΕΙΛΩΝΑ. Cf. Böckh. Inscr. Gr. l. c. Vide, quae hac de re d. Lips. ad Tac. Ann. XII. 21. Arnzenius ad Aurel. Vict. Epit. XX. 6.

90) Clinton Fast. Rom. ad an. 146 et 211. Spart. Sev. 1.

91) Aurel. Vict. Epit. XX.

92) Dio Cass. LXXVII. 4.

93) Spartian. Caral. 8.

94) Anno 203 p. Ch. Severus bello Parthico finito, Romam revertit. Eodem anno Plautianus occisus est (Dio Cass. LXXVI. 2—7; Herod. III. 10—12); anno 204 Sept. Severus consulatum iniit et collegam fecit Fab. Cilonem (Clint. Fast. Rom. ad an. 204), anno sequenti Fabium Cilonem instituit praefectum U. R., ut infra demonstrabimus. Plautiano mortuo

Studiorum cursu peracto Cilo ad rempublicam accessit et aditum laudis honorisque auspicatus est, decemvir stlitibus iudicandis factus [95]). Imperatorum vero temporibus is tantum honores maiores adipisci potuit, qui militiae addictus muneribus militaribus functus erat. Militiae igitur nomen dedit Cilo et mox tribunus factus est militum legionis XI. Claudiae [96]), quae in Germania superiori castra habebat [97]). Bona muneris administratione probatus quaestor missus est in provinciam Cretam [98]), quae senatoria erat, et a pro praetore administrabatur [99]). Ex quaestura tribuni plebis honorem adeptus [100]) et deinde in ordinem senatorium est

---

praefectum praet. nominavit Aemilium Papinianum, J. Cons. h. t. clarissimum, qui in consistorium principis iam ab Hadriano institutum assumpsit J. Cons. Julium Paulum, Herennium Modestum, alios.

[95]) Legimus apud Grut. C. J. L. p. 407. 1 haec: L. Fabio M. T. Gal Ciloni Septi- | mino C Atinio Aciliano Le | pido Fulginiano Cos | Comiti Imp. L. Septimi Severi Pii | Pertinacis Aug. Arab. Adiab. P. P. | Sodal. Hadrianal. Cur. Min. Leg. | Aug. PP. Provinciae Pann. Et Moe | siae Sup. Bithyn. Et Ponti Duci Ve | xill. Per Italiam Exercitus Imp. | Severi Pii Pertinacis Aug. et Imp. | Aureli Antonini Aug. Praepo | sito Vexillation. Perinthi Per | Gentib. Leg. Aug Pr. Pr. Prov. Ga | lat. Praef. Aer. Militar. Procos Prov. | Narbon Leg. Aug. Leg. XVI Fl. F. Pr. Urb. | Leg. Pr. Pr. Prov. Narb. Trib. Pl. Quaest | Prov. Cret. Cyr. Trib. Mil. Leg. XI Cl. | X vir Stlit. Judic. Cur. R. P. Nico | medensium Interamna- | tium Nartium Item Gravi | scanorum | Ti. Cl. Ambratianus leg V | Macedonicae ob merita.

[96]) Grut. 407, 1. — Similiter 407, 2 ubi legimus

.... Trib. Leg. XI Cl(audiae)

X vir Stlitaba Iudicandis.

Congruunt in omnibus fere partibus duae inscriptiones Gruterianae (407, 1, 2) in iisque omnia Cilonis officia servato temporis ordine emunerantur, sed ita, ut a maioribus ad nimora descendamus.

[97]) Haakius in Pauly Encycl. IV. 891.

[98]) Grut. 407. 1 et 2.

[99]) Becker-Marquardt Ant. Rom III, 1, p. 260.

[100]) Grut. 407, 1 et 2. Aedilitatis munere functus non est. Etenim ut Dio Cass. LII. 20. dicit, iuvenes Romani aut aedilitate aut tribunatu exornari solebant, raro autem utrumque magistratum obibant.

receptus. Etenim tribuni munere perfunctus legatus profectus est in provinciam Narbonensem [101]); ut autem proconsulis legatione fungi liceret, senatoria dignitate eum ornatum esse oportebat [102]). Romam reversus praetoris urbani munus suscepit et deinde legatus Aug. legionis XVI. Flaviae firmae, quae Samosatis in Syria castra habebat, factus est [103]).

Legatus provinciae Narbonensis munere suo Cilo integre et diligenter functus esse animosque sibi conciliasse videtur; postquam enim nonnullos per annos legioni XIV. praefuit, legatus sub nomine et dignitate proconsulis missus est in eandem provinciam Galliam Narbonensem [104]). Romam reversus Fab. Cilo praefectus aerarii est institutus [105]), idque munus pluros per annos gessit, si quidem verum est, quod dicit Borghesius [106]), praefectos aerarii inde ex Claudio tres per annos munus obtinuisse atque administrasse. Ex praefectura aerarii, ut dicit Herzogius [107]), plerumque ad consulatum promotio fuit: id quod in Cilonem non cadit. Priusquam enim consul factus est, legatus P. P. missus est in provinciam Galatiam [108]). Sed id non mirum est: Commodus enim, princeps ille effeminatus et voluptatibus unice indulgens non pro meritis honores distribuit sed ex libidine et ex arbitrio fautorum suorum, quibus summam rerum permisit.

---

[101]) Grut. 407, 1 et 2.

[102]) Becker-Marq. I. I. III, 1, pag. 281.

[103]) Grut. 407, 1 et 2.

[104]) Grut. 407, 1. 2.

[105]) Grut. 407, 1. 2.

[106]) Borghesi Burbul p. 45—49.

[107]) Herzog: Gall. Narbon; Appendix Epigraphica, p. 150.

[108]) Grut 407, 1 et 2; 496, 10. = Boekh. C. I. Gr. III, p. 776, n. 389b ubi legimus haec:

Λ. ΦΑΒΙΟΝ | ΚΕΙΛΩΝΑ | ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ | ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ | ΥΠΑΤΟΝ ΤΟ Β | Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ | ΤΗΣ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΑΝΚΥΡΑ | ΤΟΝ ΕΑΥΤΗΣ | ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ

Quamdiu provinciam Galatiam administraverit Cilo, quove tempore Romam reversus sit, pro certo dicere non possumus. Constat vero, Cilonem, consulem suff. in. an. 193 designatum, iam sub finem an. 192 Romae fuisse. Etenim post Commodi necem, qui pr. Kal. Ian. a. 193 trucidatus est[109]). Pertinax imperator Ciloni corpus Commodi sepeliendum tradidit. Docet nos Lampridius haec, dicens: „Et quum iussu Pertinacis Livius Laurensis, procurator patrimonii, Fabio Ciloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadaver sepultum est“ [110]). Quibus ex verbis Haackhius colligi posse putavit, Cilonem a Pertinace petiisse, ut corpus Commodi sibi traderetur, amicum igitur Commodi se prodidisse, itaque consulatum hoc anno gerere non potuisse[111]). Sed hoc ex Lampridii verbis colligi non potest, neque convenit agendi rationi Severi imperatoris, qui Cilonem summis exornavit honoribus; id quod non fecisset, si Cilo fuisset inimicus Pertinacis, cuius ultorem se praestitit Septimius Severus. Deinde vero et scriptores[112]) et inscriptiones Cilonem bis consulem fuisse exhibent[113]).

Quo vero mense consulatum Cilo gesserit, incertum est; fortasse non multo post quam rerum potitus est, Septimius Severus, qui eum, ut iam diximus, summis exornavit honoribus. Sine dubio Cilo, ingenium et virtutes Severi imperatorias cognita habens consilia eius adiutus est, et Septimius Severus, Cilonis indoles atque animum probum intelligens, illum virum sibi conciliandum esse putabat. Etenim postquam Severus imperator factus est, Cilonem tutorem fecit Bassiani filiumque suum educandum tradidit Ciloni[114]);

---

[109]) Capitol. Pert. c. 4.

[110]) Lamprid. Commod. 20.

[111]) Haakius in Pauly Encycl. real. VI, 2. p. 2924.

[112]) Spartian. Carac. c. 4.

[113]) Boeckh. C. I. Gr. III, p. 776. nro. 5896.

[114]) Dio Cass. LXXVII. 4.

id quod non fecisset Severus, nisi magnam in Cilone posuisset fiduciam. Neque multo post Nigro, regni aemulo, bellum illaturus Septimius Severus Cilonem fecit ducem Vexillationum, qui milites conscriberet conscriptosque Perinthum duceret [115]). Hac occasione Severus Cilonem, qui magnis cum copiis Perinthum venerat eaque re Severi exercitum confirmaverat, praeposuit provinciae Ponti et Bythiniae [116]), idque non solum ea de causa, quod haec provincia maxime armis urgebatur, sed etiam quod Cilo, qui non multo ante vicinam provinciam Galatiam [117]) administraverat, huius provinciae conditiones et statum optime novit. Fortasse Cilo hanc provinciam administravit, donec Byzantium, quae urbs summa cum tenacitate ac fortitudine se defenderat et a partibus Nigri steterat, expugnaretur. Deinde provinciae Moesiae sup. praepositus est [118]). Quam provinciam quamdiu administraverit Cilo, nescimus. Non ita multo post Severus, cum Parthis bellum gesturus Cilonem ducem fecit Vexillationum per Italiam [119]), quo munere perfunctus Cilo missus est in provinciam Pannoniam, quam plures per annos administrasse videtur. Verisimile est, Cilonem in Panonia fuisse [120]), quo tempore Severus, bello Parthico finito Romam reversurus exercitus in Moesia et Panonia collocatos recensuit et inspexit [121]); fortasse Severus hac occasione Cilonem Romam reduxit, quum amicum tam multis in rebus probatum summis exornaturus honoribus, tum consilio eius usurus

---

[115]) Grut. 407, 1. — Schulte: „de imp. L. Septimio Severo“ 1867. Monast. Diss. inaug. p. 31. not. 1, qui de tempore huius expeditionis breviter quidem, sed praeclare egit.

[116]) Grut. 407, 1 et 2.

[117]) Grut. 407, 2. Boeckh. l. l. p. 776, n. 389 b.

[118]) Grut. 407, 1.

[119]) Grut. 407, 1 et 2.

[120]) Cilonem c. an 201 legatum Aug. Panoniae fuisse, elucet ex lapide, qui apud Steiner: Ins. Rheni et Danubii n. 3362. exstat.

[121]) Dio Cass. LXXV. 11 sqq.

ad novas institutiones faciendas. Interea Romae Plautianus, Praefectus Praet., qui repagula iuris et officii perfringens maiorem quam imperator ipse auctoritatem et potestatem adeptus erat, omnia ad arbitrium suum regebat, et tanta licentia tantaque crudelitate agebat, ut respublica Romana non legibus sed terroribus administrari videretur[122]. Simulque potentia sua exsequutus est, ut Bassianus, Severi filius, Plautillam, Plautiani filiam, in matrimonium duceret[123]. Primum quidem Severus Plautiani auctoritatem senatus imminuentis senatorumque superbiam opprimentis licentiam haud aegre ferebat[124]; Romam vero reversus, quum intelligeret, non omnia Plautiani facta probari posse nimiamque iam adeptum esse potestatem praefectum illum, Septimius Severus libenter fidem habuit criminationibus Bassiani, qui Plautianum acerbissime odit eumque affectati imperii atque insidiarum principi structarum accusavit[125]. Iussu Severi occisus est Plautianus an. 203. p. Chr. n. vel anno sequenti, quo Fabius Cilo iterum consul exstitit[126]. Consulatus munere perfunctus Cilo praefectus Urbi est institutus et quidem anno 205 p. Chr. n. Sunt quidem, qui Cilonem iam post primum consulatum praefecti U. munus obtinuisse dicant[127];

---

[122]) de Plautiano v. Dio Cass. LXXVI. 1 sqq.

[123]) Dio Cass. LXXV, 14 sp. — Herodian. III. p. 134 (ed. Lugdun. an. 1611).

[124]) Senatorum superbiam Plautianum reprimentem haud aegre tulisse Severum colligi potest ex odio, quem Severus conceperat in senatores, quorum plurimi a partibus Cl. Albini regnum affectantis steterant. Quapropter etiam Severus, postquam Clodio Albino devicto Romam revertit, crudelissime in senatores egit, quorum permultos necandos curavit.

[125]) Cfr. Dio Cass. LXXV, 14. LXXVI, 2—7. — Herod. III, 10—12. — Gibbon Hist. 5. n. 69.

[126]) Clint. F. R. ad. an. 204, quo anno Cilo iterum consul fuit. Cilonem bis consulem fuisse elucet ex Inscr. Grut. 406, 10. Boeckh. l. c.

[127]) Cfr. Herzog: Gall. Narb. l. c. — Haehnelius quoque (Corp. Leg. p. 139) Cilonem ante ann. 204 praef. U. fuisse putat, leges, quae epistola

verum non statim ex priore consulatu Cilonem a Septimio Severo ornatum praefectura urbana, elucet ex epistola Severi ad Cilonem praefectum U. missa, de qua epistola mox plura dicemus [128]). Hac enim epistola, ut postea demonstrabimus, et praefectorum U. potestas aucta, et iudiciorum dissolutio facta est, quae omnia non ante annum 205 facta esse multis argumentis demonstrari potest. Illa scilicet Severi epistola antiquum senatorum ius, ab Augusto iis concessum, est abrogatum [129]). Primis vero imperii annis Severus mitem ac

---

illa ad Cilonem Praef. U. data continentur, ante an. 198 latas contendens. Corsinus denique l. l. pag. 205 Cilonem ad an. 200 adscribit, et dicit: „Quemadmodum Cilo bis consul fuit, ita quoque urbanae praefecturae munere bis decoratus fuit.“ In errorem ducti sunt viri docti verbis Spartiani, qui (Carac. 4) scribit haec: „in summum discrimen venit et Cilo, iterum praefectus et consul.“ Quibus ex verbis satis elucere videtur, Cilonem bis praefecturam U. obtinuisse. Sed errant viri docti. Quod enim epistolam illam ad Cilonem praef. U. datam adtinet, ex argumentis supra allatis elucet, eam non ante ann. 204 scriptam esse. Ab anno 196 usque ad annum 203 Romae solus fere regnabat Plautianus, qui regnandi cupidus et dominationem affectans aemulum potestatis passus non esset. Igitur Severus non multo post primum Cilonis consulatum hunc virum praefectum U. instituisse putandus est. Id quod haud verisimile esse videtur, nisi statuere velimus Cilonem per paucos tantum dies praefecturae munere functum esse. Etenim Severus, Nigro bellum illaturus, Cilonem fecit ducem Vexill. Perinthum Pergent, et Cilo anno 193/4 vexillationes Perinthum deduxerat. (Cfr. Schulte Diss inaug.: „de imp. L. Sept. Sev.“ 1867. Monast. pag. 53 not.) Ab anno vero 194 usque ad an. 197. Cilo primum legat. Aug. Ponti et Bythin., deinde leg. Aug. Moesiae exstitit. Grut. 407, 1 et 2. Igitur ante annum 204 Cilonem praef. U. fuisse haud verisimile est. Quamobrem verba Spartiani, si quidem iis fides habenda est, alio modo sunt interpretanda. Fortasse Cilo ab anno 205 usque ad mortem Severi praefecturae munus obtinuit, et Bassianus Caracallus, in regnum succedens, educatorem suum manere praefectum iussit. Repugnare vero videtur Dio Cassius, qui eandem quam Spartianus exponens rem dicit: „τὸν ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ (scil. Ἀντωνίνου) πεπολιαρχηκότα“ Dio Cass. LXXVII.

[128]) Com. nost. c. III.

[129]) Com. nost. c. III.

benevolum in senatum se gerebat, nec senatui de antiquo iure quicquam detractum volebat [130]; postquam vero, Clodio Albino devicto, (an. 197), Romam revertit, maximo quidem correptus est senatus odio propter studium, quod Albino rebellanti declaraverat senatus [131]; sed neque tunc neque proximo sexennio auctam illum in modum praefecturam urbanam, monstrari eo potest, quod omni eo tempore summam in urbe potestatem tenuit Fulvius Plautianus, praef. praet., qui anno 203 occisus est. Anno vero 204 Fabius Cilo consul fuit, consul autem ordinarius non eodem tempore praefecti U. munus suscipere potuit [132]. Praefecti munus plures per annos administrasse Cilo videtur, et post Severi mortem, quem imperatorem in Britania an. 211 diem supremum obiisse scimus, magno in honore fuit apud imperatorum Ant. Caracallum, qui, postquam in regnum successit, „Capitolium petiit .... innitensque Papiniano et Ciloni ad Palatium rediit" [133]. Sed mox in summum discrimen venit. Etenim Bassianus Caracallus, qui ex patris voluntate una cum fratre Geta in regnum succederet, dominationis cupidus fratrem suum necare constituit et sanguine fratris manus suas maculavit [134]. Sed hoc non satis fuit tyranno; amicos quoque Getae et eos, qui caedem factam improbarunt, occidere constituit. Inter quos fuerunt Papinianus [135] et Cilo, quorum unns fratris necem probare ac defendere noluit, alter vero, Cilo, „concordiam inter fratres suaserat" [136]. Sed quominus Cilonem inter-

---

[130]) Dio Cass. LXXIV, 2. Herod. II, 14 sq.

[131]) Dio Cass. LXXV, 8. Herodian. II, 8. Gibbon Hist. R. c. 5 not. 57.

[132]) Cfr. Comm. nost. c. III.

[133]) Spartiani Carac. 4.

[134]) Spartian. Carac. c. 2. Dio Cass. LXXVII, 2.

[135]) Spartian. Carac. c. 3. Fuit vero Papinianus iuris-consult., quem Severus magno in honore babuit quemque Plautiano occiso praefectum praetorio nominavit.

[136]) Spartian. Carac. c. 4.

ficeret, prohibitus est Caracallus a populo et militibus urbanis, qui „quum Cilo sublata veste senatoria nudis pedibus ab urbanicianis raptus esset“ [137]) seditionem excitarunt et clara voce imperatorem vituperarunt, quod tutorem, educatorem ac benefactorem suum, a quo tam multa tantaque accepisset beneficia quemque pater Severus semper in amicissimis habuisset summisque exornasset honoribus, neci tradere constituisset. Haec quum vidisset Caracallus, a consilio suo destitit. Sed iam audiamus Dionem, qui hac de re dicit haec: „*τὸν δὲ δὴ Κίλωνα τὸν τροφέα τὸν εὐεργέτην, τὸν ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πεπολιαρχηκότα, ὃν καὶ πατέρα πολλάκις ἐκεκλήκει, ἠβουλήθη μὲν ἀποστερῆσαι τοῦ ζῆν. καὶ οἱ στρατιῶται οἱ πεμφθέντες ἐπ' αὐτὸν, τὰ μὲν ἀργυρώματα καὶ τὰ ἱμάτια, τά τε χρήματα καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ ἐκείνου διήρπασαν, αὐτὸν δὴ ἀνήγαγον διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, ὡς καὶ ἐς τὸ παλάτιον κομιοῦντες, κλάπας τε ὑποδεδεμένον, (ἐν βαλανείῳ γὰρ ὢν ἔτυχε), καὶ χιτωνίσκον ἐνδεδυμένον, ὡς καὶ ἐκεῖ που καταχρησόμενοι. καὶ τήν τε ἐσθῆτα αὐτοῦ περιέρρηξαν καὶ τὸ πρόσωπον ᾐκίσαντο, ὥστε καὶ τὸν δῆμον καὶ τοὺς στρατιώτας τοὺς ἀστικοὺς ὑποθορυβῆσαι καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸν Ἀντωνῖνον καὶ αἰδεσθέντα αὐτοὺς καὶ φοβηθέντα ἀπαντῆσαί σφισι, καὶ τῇ χλαμύδι, (τὴν γὰρ στρατιωτικὴν ἐσθῆτα εἶχε), περιβαλόντα αὐτὸν εἰπεῖν „μήτε τὸν πατέρα ὑβρίζετε μήτε τὸν τροφέα παίετε“. ὁ δὲ δὴ χιλίαρχος ὁ κελευσθεὶς αὐτὸν φονεῦσαι καὶ οἱ στρατιῶται οἱ συμπεμφθέντες αὐτῷ ἀνηρέθησαν, λόγῳ μὲν ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ, τὸ δ' ἀληθὲς, ὅτι μὴ κατέσφαξαν αὐτόν* [138]).

§. 5. Haec sunt, quae de vita Cilonis nobis tradita sunt; quam vitam eo imprimis consilio descripsimus, ut ex ea eluceat, qui fuerit ordo dignitatum, quibus ad hunc praefecturae magistratum ascendebatur. Quo maioris enim momenti fuit praefectura urbana, quo maiorem auctoritatem tribuere prae-

---

[137]) Spartian. Carac. l. c.

[138]) Dio Cass. LXXVII, 4.

fectis voluit Augustus eo magis ei erat providendum, ut ii tantum ad praefecturam urbanam admitterentur, qui magistratibus aliis et quidem minoribus obeundis ingenii, solertiae, dexteritatis, prudentiae atque aequitatis specimen edidissent. Quopropter Maecenas, Augustum exhortans, ut praefecturam urbanam instituat, ei suadet, ut ad hanc dignitatem eos tantum admittat, qui omnes magistratus, quos ante hunc conveniret, gesserint[139]). Maecenas quidem Augusto tantum suadet, ut ad virum senatorii ordinis hunc magistratum deferret neque magistratus, quos ante hunc geri conveniret, describit. Attamen ex Taciti aliorumque scriptorum verbis et ex inscriptionibus elucet[140]) hoc munus viro tantum senatorio consulatus honore perfuncto fuisse mandatum. Quapropter etiam posterioribus temporibus Carino objiciebatur, quod non consularem, sed unum e cancellariis ad praefecturam promovisset[141]). Consulatus quidem semper summus honorum gradus habebatur et dignitate antecellebat praefecturam urbanam, quae tamen potestate maior fuit consulum honore inani, ideoque consulibus plerumque mandabatur: idque omnibus temporibus servatum accipimus. Si igitur consulares plerumque ad praefecturam admittebantur, praefecti U. omnes eos honores gessisse putandi sunt, quibus ad consulatum ascendebatur[142]).

---

[139]) Dio Cass. LII, 21.

[140]) Tac. An. VI. 11.

[141]) Vopisc. Carin. 9.

[142]) Ex Cilonis vita a nobis descripta omnino colligi non potest, omnes praefectos U. eodem honorum decursu ad praefecturam urb. pervenisse neque, hanc Cilonis vitam et honorum ordinem exponentes, statuere volumus, hunc ordinem publice statutum fuisse. Etenim neque omnes praefecti iisdem, quibus Cilo, dignitatibus militaribus, ut ita dicam, ornati erant, neque omnibus temporibus dignitatum ordo unus idemque fuit. Primis vero imperii Romani saeculis plurimi praefecti U. similem honorum et officiorum cursum confecerunt, priusquam praefecturam urbanam adepti sunt. Id quod ex inscriptionibus elucet. Auspicati sunt praefect

Tantae dignitati respondebant quoque nomina, quibus praefecti appellabantur et insignia, quibus a reliquis civibus distinguebantur. Nomina quod attinet, praefectorum munus „Urbanum iudicium", „Illustre urbanum iudicium", Illustris Urbana Sedes", praefecti ipsi „eximiae Urbis praesules" „Urbis moderatores", „Romam regentes", „urbis rectores" appellabantur. In rescriptis vero imperatorum et in publico praefecti U., qui honestissima „Viri Clarrissimi" appellatione decorabantur, nominantur „illustris auctoritas tua", „excellens auctoritas tua", „illustris magnificentia tua", „magnifica sedes tua", „eminentia tua sublimis", „eminentissima praefectura urbana", „gravitas tua", „laudanda Sinceritas tua", „praecelsa Sinceritas tua", „Culmen tuum" [143]). Valerianus imperator praefectum U. appellavit „parentem" [144]) et Iustinianus eum nominavit „gloriosissimum" [145]).

Insignia denique quod attinet, Cassiodorus dicit, praefectos indutos fuisse „veste Romulea" [146]) quae vestis eadem fuisse videtur, ac consulum seu consularium, i. e. toga praetexta [147]).

U. laudis et honorum aditum quaestoris munus suscipientes; (cfr. Orelli-Henz. nro. 3044, 3159, 5502, 2354, 3024, 3185) deinde aut aedilitatem petebant aut tribuni pleb. munus obibant, tum praetoris urbani honorem obtinebant, quo munere perfuncti legati fiebant nomine consularis; deinde proconsules et consules fiebant, consulatus denique honore perfuncti ad praefecturam promovebantur. Cfr. hac de re Cors. praef. pag. XVII. Perraro autem viri nobiles designati sunt praefecti U., priusquam consulatus honores adepti sunt. Praefecti enim U. dignitate quidem minores consulibus erant sed maiores potestate principesque senatus facti sunt. V. q. i. c. III, n. Com. hac de re diximus.

143) Cors. l. c. praef. p. XXVII sq. Gothofredus in Not. Dign. in Cod. Theod. (ed. Ritter VI. p. 10). Boecking N. D. Occ. p. 171 sq.

144) Vopiscus Valer. 9.

145) Cors. praef. paf. XXIX.

146) Cassiod. Var. VI, 4.

147) Drackenb. p. 71.

Praecipuum autem insigne erat ius carpento per publicum vehendi[148]), quod non leve summi magistratus indicium erat, quum privatis ne equo quidem urbem ingredi permissum esset[149]), quibus nec per municipia curru iter facere licebat.[150]) Tempore Aureliani quoque hoc invidiosum erat.[151]) Loco carpenti olim senatores, qui minus prospera valetudine utebantur, lectica in senatum vehebantur, quod et eorum uxoribus concessum erat.[152]) Currus praefecti U., qui carruca dicebatur[153]), quadriiugus erat aureatus, qui a quatuor albis equis trahebatur.[154])

---

[148]) Vopisc. Aurel. 1. — Ammian. Marcell. XV, 7. — Symmach. X, 24. — Cassiod. Var. VI, 4.

[149]) Spart. Hadr. 22. — Capitol. Ant. Phil. 23.

[150]) Capit. Ant. Phil. 23.

[151]) Vopiscus Aurel. 5.

[152]) Dio Cass. LVII, p. 612. LX. p. 665.

[153]) Symm. X. ep. 33.

[154]) Notit. Imp. Occid. c. 3. et ad h. l. Panciroll.

Caput III.

De officiis, potestate ac iurisdictione praefectorum Urbi.

§. 6. Notissima est oratio illa, quam libris historiarum suis inseruit Dio Cassius, in qua scriptor ille Maecenatem non solum suadentem Augusto facit, ut et legibus et institutionibus idoneis novo imperio veniat auxilio, potestatemque adeptam in posterum quoque confirmet et stabiliat, sed etiam docentem, quae sint necessaria et qua ratione optime instituenda. Qua in oratione Mæenas inter alios magistratus instituendos recenset quoque praefecturam urbanam, cuius magistratus gravitatem et vim in stabiliendum novum imperium cognoscens non solum suadet, ut praefectos urbis instituat imperator, sed etiam, ut amplissimis eos exornet facultatibus et potestatibus, hisce exhortans Augustum verbis: *„πολίαρχος δε δή τις ἔκ τε τῶν προηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τά καθήκοντα προπεπολιτευσμένων ἀποδείκνυσθω, οὐχ ἵνα ἀποδημησάντων που τῶν ὑπάτων ἄρχῃ, ἀλλὰ ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προσταιῇ καὶ τας δίκας τάς τε παρὰ πάντων, ὧν ἔιπον, ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους καὶ τὰς τοῦ θανάτου τοῖς ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω ἀυτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ.“* [155])

---

[155]) Dio Cass. LII, 21.

Dio Cassius quidem, qui in oratione illa ficticia compendiose tantum ostendere voluit, quae fuerit civitatis Romanae forma sub imperatoribus, ideoque ordine temporum neglecto omnes eas res et institutiones, quae suis demum temporibus receptae et in usu erant, ad Augustum, imperii Romani auctorem, retulit, ipse iam confessus est, non omnia a Maecenate commemorata iam ab Augusto instituta esse, sed partem ipsum statim instituisse, reliqua vero et quidem multo plura successoribus instituenda et perficienda reliquisse.[156]) Idque iure. Licet enim Augustus praefectos U. instituens in animo habuerit, omnium rerum urbanarum curam et potestatem ad unum deferre virum, qui, ex solo imperatoris arbitrio pendens, ad imperatoris voluntatem res urbanas gereret, et urbem gravissimam perpetuo in imperatorum officio teneret, auctor tamen et conditor imperii Romani callidissimus talia ausus non est. Intellexit enim, se non uno eodemque tempore omnes sibi obstantes rei publicae institutiones removere neque populi potestatem omnino frangere posse nisi se suaque summum in discrimen vocare vellet.

Nihilominus viri docti, oratione illa Maecenatis ficticia innisi, nullo temporum discrimine facto omnia confuderunt, et, officia potestatesque Praef. U. describentes, ea, quae posterioribus demum temporibus in usu erant, iam ab initio imperii stetisse contenderunt.[157]) Quamobrem diligentius in hanc rem nobis erit inquirendum, et, ut ordine quodam constituto res singulas exponamus, primum de officiis Praefectorum U., deinde vero de iurisdictione et potestate eorum disseremus.

Ad officium igitur praefectorum U. pertinere dicunt viri docti curam et custodiam urbis; id quod verum est aliquo

---

[156]) Dio Cass. LII, 41.

[157]) Corsinus l. l. p. 36 sq. — Drackenb. l. c. p. 40 sqq. — Contelorius l. c. p. 523 sq. officia et potestates praef. U. confuse et permixte enumerat.

tamen discrimine interposito. Etenim quod curam urbis ipsam adtinet, ea non praefectis U., sed pluribus commissa erat magistratibus, qui minorem quidem, quam praefecti U., habuerunt dignitatem, attameu neque ministri praefectorum fuerunt neque omnino ex arbitrio et imperio illorum pependerunt, sed suae potestatis provincias suas libere administrarunt propriamque exercuerunt potestatem. Inter praecipuas vero curas habebatur cura annonae, quae res iam liberae civitatis temporibus summos rei publicae magistratus magnopere occupavit et imperatorum quoque animos in se advertit.[158]) Prioribus temporibus cura annonae commissa fuit aedilibus curulibus, quorum erat, frumentum et alia ad sustentandum populum necessaria procurare.[159]) Saepius etiam praefecti annonae extraordinarii eligebantur, si magna exorta erat annonae caritas timendumque, ne tumultus et seditiones periculosae exorirentur.[160]) Augusti avus duos instituerat aediles cereales iisque frumenti advehendi et distribuendi curam imposuit.[161]) Augustus vero de aedilium officiis et potestatibus nonnihil derogans rei annonariae praefecit virum equestris ordinis[162]), qui frumentum advehendum et distribuendum curraret[163]), et hunc magistratum vocavit praefectum annonae, qui initio per ministros et servos publicos singulas officii sui partes administravit. Postquam vero constituta sunt certa operariorum corpora, qui pretio

---

[158]) Tac. Ann. II, 87. IV, 6. XII, 43. XV, 13. — Suet. Claud. 18.

[159]) Liv. X, 11. XXX, 26. XXXI, 4. 50. — Dionys. Halic. A. R. VI. p. 411. R. — Plin. XV, 1.

[160]) Dio Cass. XXXIX, 9. — Cicero ad Att. IV, 1. — Liv. Epit. 104. — Dio Cass. LIV, 1. 17. 35.

[161]) Dio Cass. LII, 24, 33.

[162]) Tac. Ann. I, 7. XI, 31. — Dig. de acc. 48, 2.

[163]) Imposuerunt imperatores singulis provinciis certum quemdam frumenti modum, quem quotannis Romam mitterent; colligendo per provincias frumento praefuerunt centuriones s. procuratores, qui praefecto annon. U. R. erant subiecti. Var. VI, 18.

constituto frumenti ex provinciis transvehendi [164]), conservandi [165]) et vendendi [166]) curam susceperunt, praefectus annonae hisce corporibus praefuit et de criminibus ad annonam spectantibus cognovit.

Hunc praefectum annonae, cuius auctoritas eo maior fuit, quo maioris momenti annonam habebat populus Romanus, Augustus subiecit quidem praefecto U. ea tamen lege, ne quid de annona decerneret praefectus U. sine consensu et auctoritate praefecti annonae, ita ut hic quidem illi dignitati sed non curandi partibus cederet, apparitoresque urbanae praefecturae annonario officio se non insererent. [167]) Cura annonae non ad officium praefecti U. pertinebat, neque is tam rei annonariae praepositus est quam an. praefecto, qui

---

[164]) Hoc munus susceperunt navicularii, qui iam Antonini Phil. aetate exstiterunt. Haehn. C. L. p. 117. Gothof. ad C. Th. l. XIV. de navic.

[165]) Frumentum advectum et a praefecto probatum horreis condiderunt „catabolenses.“ C. Th. XIV, 13, 9. 10. Cassiod. Var. III, 10. Gothof. C. Th. tom. VI. p. 198. ed. Ritter.

[166]) Pistores, quorum celeberrimum erat corpus Romae, tum coquendo, tum molendo et parvo pretio vendendo frumento annonae publicae inservierunt. Hoc corpus iam Traiani temporibus exstitisse dicit Aur. Vict. V. I. 13. Ad distribuendum populo frumentum instituti erant curatores s. praefecti frumenti dandi, qui praefecto Ann. subiecti non fuisse videntur quique ab illo Annon. praefecto discernendi sunt, nisi statuere velimus, praefectos Ann. ex eo, quod ipsi frumenti distributionem curassent, apellatos esse Praef. Fr. D. Legimus enim saepe in inscriptionibus: „Praef. Fr. D. (Orelli-Henzen 2702, 4910, 77, 2377. Grut. 188, 1. 509, 1) Augustus primum duo, deinde quatuor instituit praetores ad frumendum distribuendum eosque appellavit praefectos frumendi dandi.“ Dio Cass. LIV, 17. Suet. Oct. 37. Frontin. de aq duct. 100. Successores Augusti hoc observasse videntur. Walter. l. l. §. 204.

[167]) Desunt quidem testimonia, ex quibus probare possimus, Augustum hoc instituisse. Elucere vero hoc videtur ex constitutionibus imperatorum et ex legum collectionibus. Theod. Cod. d. off P. U. I. 6, 5. 7. de cond. in publ. XI, 14, 1. C. Iust. X, 26. Amm. Marcell. XIX, 10, 1. XXI, 10, 7. 12. 24. XIV, 6, 1.

[168]) Amm. Marcell. XIV, 6. XIX, 10, 12.

praefectum U. de rebus maioribus certiorem facere et graviores res diiudicandas ad praefectum U. remittere debebat. Posterioribus vero temporibus praefecti urbi maiorem vim in annonam adepti videntur, qui ingravescente annona saepe a populo vexabantur[168]), quique peculiari quodam iure obtinuerant, ut ipsi custodiendo, dimetiendo et aestimando tritico custodes ac mensores eligerent atque molendinariis pretium, quo vendi liceret frumentum, praescriberent.[169]) Ceterorum alimentorum curam Augustus reliquit aedilibus, qui liberae civitatis temporibus in foro regnabant, quique primis imperii annis custodiam fori viarum urbanarum, balneorum, lustrorum obtinuerunt.[170]) Sed mox eorum officium transiit ad praefectum U., qui de olei et vini vilitate[171]), de carne advehenda et iusto pretio vendendo curabat, cuius igitur sub potestate subiuncti erant omnes, qui hisce rebus operam dederunt: rationalis vinorum, pistrini, suarii, macellarii.[172]) Hanc curam iam mox praefectis mandatam esse elucet ex Ulpiani verbis, qui „cura, inquit, carnis omnis ut iusto pretio praebeatur, ad curam praefecturae urbanae pertinet: et ideo et forum Suarium sub ipsius cura est; sed et ceterorum pecorum sive armentorum, quae ad huiusmodi praebitionem spectant, ad ipsius curam pertinent“ [173]).

---

169) Cors. praef. p. XL, p. 203, 216, 263. Amm. Marc. XXVII. 9.

170) Plinius Ep. XV, 1. Dig. II, 22. Dio Cass. XIN, 12. Suet. Vesp. 5. Tib. 54. — Senec. de V. beata. 7; Epist. 36. Plin. H. N. XXXVI, 18. Tac. An. II, 42 — Becker-Marq. II, 2, p. 302 sq.

171) Vini Romam advehendi curam suscepit rationalis vinorum, qui Praef. U. subiectus erat. Vinum quidem non gratuitum populo praebebatur, sed parvo pretio vendebatur. C. Theod. XI, 2, 2. — Vopisc. Aurel. 43. — Symm. VII, 96. IX, 131. X, 54. — Walter. l. l. §. 381. — Boecking N. D. Occ. p. 195.

172) Ulpian. d. off. Praef. U. §. 11.

173) Ulpian. in Dig. I, 12. §. 11.

174) Drackenb. l. l. p. 59.

Ad curam urbis spectabat quoque cura aedificiorum et operum publicorum. „Populus enim Romanus, quum imperii terminos in longinquas terras protulisset, nihil antiquius habuit, quam ut Roma, quae orbis caput saepissime audit, pro maiestate tanti popnli aedificiis publicis et privatis quam ornatissime exculta foret: quae cura si sub re publica magna esset, sub imperatoribus certe maxima fuit, ut ex innumeris auctorum locis constat" [174]. Commissa fuit in civitate libera cura aedificiorum operumque publicorum aedilibus et censoribus, quorum erat, aedes sacras tueri, sarta tecta exigere, aedesque privatas procurare, ne urbs aedificiis deformibus foederatur, neve aedium irruptione tectique strage securitas publica in periculum veniret [175]).

Augustus vero, qui urbem, neque pro maiestate imperii ornatam et inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo, ut iam sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset [176]), aedilibus haec officia ademit, novosque instituit magistratus, quibus curam operum, publicorum [177]), viarum, alvei Tiberis [178]), cloacarum, aquarum

---

[175]) Becker-Marq. II, 2. p. 236 sq.

[176]) Suet. Oct. 30. 37.

[177]) Curatoribus operum maximorum et publicorum providendum erat, ut aedificia vetustate collapsa reficerentur et nova aedificanda ex lege et pro dignitate urbis exstruerentur. V pl ap. Boecking. N D. Occ p 189.

[178]) Urbs Roma inundationibus Tiberis saepe vexabatur et damna fecit (Suet. Oct 29. Dio Cass LIII, 20 33. LVII, 14), eaque de causa Augustus, qui ipse „ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit et repurgavit completum olim ruderibus et aedificiorum prolapsionibus coartatum" (Suet. Oct. 30), detulit curam riparum et alvei Tiberis viro consulari, qui provideret, ne urbs inundationibus damna faceret. (Suet. l. c.) In inscriptionibus huius magistratus saepe mentio fit. V. pl ap. Boecking. l. l. p 137.

[179]) De curatorum aquarum munere scripsit Marlianus (Urb. Rom. Topogr. IV, 10, in Thes. Graev. III, p. 143) qui dicit, huius magistratus fuisse, „extra urbem ductus circuire animadvertereque, an vitio aliquo laborarent et quibus partibus succurrendum; ac etiam beneficia recognoscere,

commisit [179]. Hisce magistratibus praepositus erat praefectus U., qui primis quidem imperii temporibus summam tantum eorum custodiam habuisse videtur, postea vero magnam officiorum illorum partem sibi vindicavit [180].

Posterioribus enim temporibus non solum omnes lites et controversias, quae circa extructionem domorum privatarum movebantur, derimebant praefecti U. [181], sed etiam operum publicorum quum reficiendorum tum exstruendorum curam sibi vindicaverunt, aedibusque et statuis sua auctoritate exstructis nomen suum insculpserunt [182]; deinde vero iis concessum erat, ut, si aedes publicae nitori et elegantiae obstare viderentur, privatos iubere possent eas destruere [183]; denique præerant praefecti U. balneis eorumque mancipiis [184].

Instituti autem sunt ab Augusto praefecti U. non solum eo consilio, ut necessitatibus populi dignitatique et amoenitati urbis prospicerent, sed inprimis, ut securitati publicae

---

ne quis non concessam surriperet aquam; dareque operam, ut in castellis salientibus sine intermissione aqua flueret." Liberae rei publicae temporibus censores aedilesque curam aquaeductuum habuisse constat, usque dum propriam curam aquarum Augustus excogitaret, (Suet. Oct. 37) quae a viris consularibus, qui „Consulares Aquarum" vocabantur administrata est. V. pl. ap. Böcking. l. l. p. 185 sq.

180) Cassiod. Var. I. 6. VII. 15.

181) Cod. Iust. VIII. 10. 12. §. 7.

182) Ammian. Marc. XXIX. 6. XXVII. 3. Grut. 168. 7. 170. 15. 171. 7. 177. 6. — Spart. Sev. 24.

183) Cod. Iust. VIII. 10. Ut opera publica exstrui possent, saepe domus privatae destruendae et loco removendae erant. Has domus praefectus U. pecunia publica emebat, quamobrem certus nummorum modus constitutus erat, qui praef. U. hunc ad finem tradebatur. V. Gothofred. ad Cod. Theod. XV. Paratitl de oper. publ. — Drackenb. l. l. p. 64 sq.

184) Gothofr. ad Cod. Theod. XIV. tit. 5 (ed. Ritter tom. V. p. 204 sq.)

185) Dio Cass. LII. 30. Tac. An. VI. 11. XIII. 24. Cassiod. Var. I. 32. 53. Cod. Iust. XI. 40. 2. Cod. Theod. XV. 5. 7. — Saepissime homines seditiosi nec non actores populum in ludis excitabantur. (Dio Cass. LVII. p. 612.) Ob has seditiones saepe histriones Roma et Italia pulsi sunt. Dio Cass. l. c.

et tranquillitati urbis consulerent, seditiones coercerent eaque re et urbem in officio tenerent et imperatorum dominationem tutam redderent. Custodia igitur urbis primarium et praecipuum praefectorum U. officium erat; idque summo iure. In urbem Romam enim confluebat pessima ac periculosissima populi pars, quae novarum rerum studiosa seditiones excitabat iisque novam dominationem in periculum vocare potuit; in hac urbe vigebat et animis civium infixa erat memoria veteris libertatis et popularis potestatis, quam non perditam, sed potius firmatam credebat populus Romanus. Opus igitur erat custode, qui intentiore cura populum eiusque studia observaret, clandestina novarum rerum consilia supprimeret et populum novo imperio assuefaceret. Quapropter certa quaedam militum urbanorum pars praefectis U. subiecta erat, et, quum seditiones saepissime in ludibus et spectaculis exorirentur, Augustus praefectis spectaculorum custodiam imposuit, ne tumultus exorirentur neve homines populares ac turbulenti hac occasione ad multitudinem concitandam abuterenter.[185]) Plerumque praefecti ipsi spectaculis interfuerunt et milites per populum et plebem dispersi ludis adsederunt.[186]) Haec quietis et tranquillitatis cura omnibus temporibus inter praecipua praefectorum U. officia habebatur. „Quies quoque, scribit Ulpianus, popularium et disciplina spectaculorum ad praefectum U. pertinet: et sane debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem et ad referendum sibi, quid ibi agatur.“[187]) Et apud Cassiodorum legimus: „Eximiae urbis prae-

[186]) Cf. Tac. (An. XIII. 24 sq.) qui narrat, Neronem imperatorem, quo maiore licentia populus ludis interesse posset, milites ex spectaculis removisse, mox vero, quum seditiones magnae et tumultus periculosi exorti essent, milites iterum reduxisse. Hi milites, ut ex Dig. I. 12. §. 11 elucet, stationarii vocabantur; apud scriptores et urbani et urbaniciani nominantur, Spart. Carac. 16.

[187]) Dig. I. 12. §. 11.

[188]) Cassiod. Var. I. 32.

sulem pacis convenit esse custodem. Nam a quo melius moderatio debet sperari, quam cui potuit committi Roma. Circumspicere te (praef. U.) decet, ne qua in spectaculis seditionum causa nascatur, quia tuum praeconium est populus quietus. Sit insultandi consuetudo moderata, ut nec libertati pereat honesta licentia, nec desit moribus disciplina.“ [188])

Quod custodis munus ut eo facilius et melius implere possent praefecti U., adiunctus iis est praefectus Vigilum. [189]) Urbs Roma incendiis frequentibus saepe agitabatur et premebatur. Hisce „incendiis arcendis apud vetustiores triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita, unde si opus esset, evocabatur.“ [190]) Augustus ut tutiorem redderet urbem, servorum publicorum, quibus incendiorum arcendorum cura imposita erat, numerum auxit et postea septem cohortes ex servis et libertis constitutas opportunis locis distribuit, praepositis iis tribunis et super omnes spectabili viro, ex equestri ordini designato [191]), qui praefectus Vigilum appellabatur [192]), qui assidue, sed noctu praesertim, urbis custodiae simulque cavendis et restinguendis incendiis praeerat accurateque observabat, ne quid in urbe contingeret, quod civium saluti et tranquillitati obesse posset. Quapropter etiam postea non solum incendiis accendis praefuit [193]), sed etiam curare debebat, ne cives furtis, effractionibus et raptis damna facerent, bonaque sua amitte-

---

[189]) De praef. Vigil. exstat praeclarissimum opus ab. Ol. Kellerman conscriptum: „Vigilum Rom. latercula duo. Coel.“ 1835. Romae.

[190]) Ulpianus d. off. Praef. Vig. in Dig. I. 13. §. 1.

[191]) Dio Cass. LII. 11. — Marq.: Hist. Equit. Rom. p. 88. Posterioribus vero temporibus praefecti vigilum ex ordine senatorio eligebantur. Beck.-Marq. A. R. III. 3. p. 285.

[192]) Suet. Oct. 30. — Dig. de off. Praef. Vig. I. 13. §. 1—3.

[193]) Beck.-Marq. l. l. III. 3. p 285. — Huschke: Incerti auctoris magistratuum et sacerdot. R. P. expositiones ineditae 1829 Vratisv. p. 3.

[194]) Dig. I. 13. §. 3.

rent[194]). Primis temporibus praefectus Vig. praefecto U. non tam subiunctus quam adiunctus fuit, dignitatem magnam et potestatem haud spernendam habuit[195]). Quo maiorem autem praefecti U. potestatem sunt adepti, praefectorum Vig. auctoritas et potestas est imminuta, ita ut omnes res maiores ad praefectum U. referre deberet[196]). Recensenda denique sunt nonnulla minora praefectorum U. officia quae posterioribus temporibus iis mandata sunt; sed ne iusto longiorem reddamus commentationem nostram, haec officia, inprimis quum minoris sint momenti, praetermittamus[197]).

§. 7. Iamque pervenimus ad quaestionem difficillimam et gravissimam de potestate ac iurisdictione praefectorum U., qua de re, quum multis adhuc implicata sit erroribus, diligentius et accuratius nobis est disserendum. Permulti enim viri docti, qui de praefectis U. scripserunt, fidem historicam temporumque ordinem minus curantes, iam ab initio praefectos U. amplissima, ne dicam summa, in urbe iurisdictione praeditos fuisse, contenderunt. „Itaque“ scribit Corsinus, vir ceterum doctissimus et de historia praefectorum U. optime meritus, „ex pulcherrimo Augusti instituto praefectus urbis,

---

195) Vid. hac de re Beck.-Marq. III. 3 p. 284 sq.

196) Geib. l. c. p. 450.

197) Breviter haec officia Praef. U. minora nobis recensere liceat. Omnes igitur, qui in urbe versantes corpus aliquod efficiebant, sub dispositione Praef. U. erant. C Iust. de off. Praef. U §. 4. Praefecti erat, in quacunque re subita verba facere ad populum (Symm. X. 29). Sic Aelius Cesitanus Praef. U. populo indicat, Tacitum electum esse imperatorem (Vopisc. Tac. 7). Os etiam populi erat praefectus, et quodcunque populus petebat, ad imperatorem scribebat praef. U. (Symm. X. 26). Nullius porro civitatis imperatoribus subiectae legati ad imperatorem admittebantur, nisi prius praefecto U. vota sua ac desideria ad imperatorem perferenda exposuissent (C. Theod. de leg. et decret. lex 8). Strenas quoque, quas imperatores Calendis Ianuariis populo dabant, praefectus U. distribuebat. Symm. X 27.

198) Corsin. l. l Praef p. XXXVI

incolumi senatus, praetorum, consulum, aliorumque veterum magistratum auctoritate, ius ac imperium in cives omnes ac finitimas quoque provincias intra centesimum lapidem exercebat, civiles omnes et criminales causae ad ipsius tribunal deferebantur, appellationes etiam a iudicibus praetoribus, praesidibus provinciarum omnium factas ille recipiebat, controversias omnes vice sacra, principis nempue vice dirimebat, neque ab illo, nisi ad principem ipsum appellari poterat."

Similiter Drackenborchius iurisdictionem latissimam praefecto urbi concessam fuisse contendit. „Tribunali enim eius" dicit ille, „subiecti fuere omnes cives in urbe Roma; is non ad id solum institutus est, ut coerceret servitia, sed ab initio iam de omnibus causis capitalibus, a quibus provocatio concedebatur, iudicavit" [199]).

Concedendum quidem est, ea, quae ab historiarum scriptoribus nobis tradantur, tam pauca tamque obscura esse, ut impossibile fere sit, certi quid hac in re statuere. Omnibus tamen locis perspectis rationibusque omnibus subductis, confirmare possumus, praefectorum U. iurisdictionis potestates primo certe p. Chr. n. saeculo non multo maiores fuisse, quam quas iis attribuere videtur Tacitus dicens: „Mox rerum potitus (scil. Augustus) ob magnitudinem populi et tarda legum auxilia sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia et quod civium audacia turbidum" [200]). Quibus ex verbis colligi posse videtur, sub imperium ditionemque praefectorum U. cecidisse maximam quidem, sed ignobibliorem populi partem, et sub eorum ius ac iurisdictionem subiunctas fuisse eas res, quibus tranquillitas urbis et quies in periculum vocari posset, nisi coercerentur. Neque vero omnes cives in urbe subiecti fuerunt praefecti iurisdictioni, neque

---

[199]) Drackenb. l. l. p. 40.
[200]) Tac. An. VI. 11.

praefectus de omnibus causis iudicavit. Quod enim cives adtinet, exemit iurisdictioni praefectorum U. aliorumque iudiciorum Augustus senatores, huic concedens ordini, ut de criminibus a senatoribus eorumque uxoribus et prognatis non nisi a senatoribus et in senatu iudicaretur[201]). Quod Augusti institutum, licet principes peiores, ius et iustitiam nihil curantes, privilegia senatorum nefario modo violaverint [202]), plurimi tamen imperatores observarunt[203]), multique se iura ac privilegia senatoribus concessa tuituros esse, iure iurando interposito promiserunt[204]).

Errant igitur viri docti, contendentes, praefectos urbi iam ab initio ius ac imperium in omnes cives exercuisse. Errant vero hi quoque dicentes, praefectos U. de omnibus causis capitalibus iudicasse[205]). Etenim quod causas capitales adtinet, praefectorum potestas coercebatur tribus imprimis rebus, quas viri docti haud satis respexisse videntur; dico autem senatus auctoritatem, iudicia publica, denique praefectorum praet. potentiam. Coercebantur potestas praefectorum U. primum senatus auctoritate. Augustus enim, postquam censoria potestate usus malevolos sibique infestos e senatu movit amicosque et quos suis consiliis fauturos cognovit, in senatum recepit[206]), huius collegii vim et auctoritatem augere voluit, et, ad senatum graviores causas diiudicandas referens, senatum constituit summum imperii

---

[201]) Dio Cass. LII. 31.

[202]) Tac. An. XI. 35. Suet. Claud. 29. Domit. 10. — Dio Cass. LXXIII. 6. Herodian. III. 8.

[203]) Dio Cass. LXVI. 19. LXXI. 28. — Eutrop. VIII. 2. — Capitol. Ant. Phil. 10.

[204]) De Domitiano v. Dio Cass. LXVII. 2; de Nerva, Dio Cass. LXIII. 2. 5; de Hadriano, Spartian. Hadr. 7; de Antonino Philos. Capitol. Ant. Ph. 6; de Pertinace, Capitol. Pert. 6. 9; de Septimio Severo Spart. Sev. 7, Dio Cass. LXXIV. 2.

[205]) Drackenb. l. l. p. 41. — Cors. praef. p. XXXVII.

[206]) Suet. Oct. 35. Dio Cass. LII. 19. 41. LIV. 13. 14. 26. LV. 53.

tribunal[207]). Verum quidem est, potestatem senatus non omnibus temporibus unam eandemque, sed pro ingenio et voluntate imperatorum nunc maiorem, nunc minorem fuisse; nihilominus tamen primo et altero p. Chr. n. saeculo senatus potestatem satis magnam fuisse inter omnes constat.

Objiciet nobis fortasse aliquis, senatum, summum imperii iudicium de criminibus e provinciis ad imperatores delatis sententiam tulisse, de criminibus vero in urbe commissis praefectos U.; sed nusquam discernitur, utrum haec crimina de quibus senatus cognovit, in urbe, an extra urbem commissa fuerint[208]). Cognovit vero senatus de repetundis[209]), de crimine laesae maiestatis[210]), de seditionibus[211]), de caede voluntaria[212]), de incestu ed adulterio[213]), de falsariis[214]), denique de omnibus criminibus, quae a nobilioribus commissa aut maiora erant, quam quae a iudice ordinario iudicari potuissent[215]).

Coercebantur deinde, ut iam diximus, praefectorum potestas iudiciis publicis, quae, ab Augusto non remota, ad tertium usque p. Chr. n. saeculum steterunt[216]), quaeque,

---

[207]) Dio Cass. LII. 31. Suet. Oct. 66. Tac. An. IV. 31. VI. 7. XIII. 44. XVI. 8, 21—23. Spart. Hadr. 7. — Walter R. R. G. §. 277. Rudorf: Roem. Rechts-Gesch. 1857. Lips. II. p. 344 §. 104.

[208]) Hoc discrimen facit Geib. Roem. Kriminalproz. 1842. Leipzig. p. 414 sq.

[209]) Tac. An. III. 66. XII. 59. XV. 20. — Suet. Oct. 2. Tac. Hist. IV 45. Plinius Sec. Ep. II. 11. 12. VII. 6. X. 10. — Rudorf l. c.

[210]) Tac. An. II. 28. III. 22. 23. 57. — Dio Cass. LVII. 17. 22. LX. 16. LXVI. 16. — Suet. Oct. 66. Domit. 11. — Capitol. Ant. P. 1. Ant. Phil. 25. Pertin. 10. — Walter l. c.

[211]) Tac. An. XIII. 45. Hist. IV. 45.

[212]) Tac. An. III. 10—13. 22. IV. 21. — Suet. Callig. 2.

[213]) Suet. Oct. 5. — Tac. An. II. 50. 85. XVI. 8.

[214]) Tac. Hist. IV. 10. Plin. Ep. III. 9.

[215]) Dio Cass. LII. 43. Tac. An. II. 42.

[216]) Geibius quidem in l. l. p. 394 sq. quaestiones perpetuas iam prima p. Chr. n. saeculo dissolutas esse contendit — sed non probat. Usque

licet eorum auctoritatem Augustus aliquantum imminuerit, magno tamen fuerunt in honore magnamque habuerunt vim[217]). Permisit enim iis Augustus, permiserunt et successores eius satis amplam iurisdictiouis potestatem; audiebant gravissimis in causis accusationes, probationes, defensiones reorum, et post dictas causas sententiam ferebant. Etiam id, quod summum semper in hoc genere iudiciorum habebatur, quaestionibus perpetuis servatum est, ut ab eorum sententia nulla esset provocatio, ne ad principem quidem, poena vero damnatorum non posset aliter rescindi aut minui, nisi per principis indulgentiam[218]).

Coercebatur denique praefectorum U. potestas auctoritate et potentia praefectorum praetorio, qui, ut supra diximus, sub primis imperatoribus et multis posterioribus potestatem fere intolerabilem omnesque leges exsuperantem sunt adepti[219]). Augustus quidem praefectis pr. tantum concessit, ut de criminibus a praetorianis militibus commissis iudicarent[220]). Quo maiorem autem vim in rerum publicarum administrationem nacti sunt, et nomine principum, qui, ut eo licentius libidinibus se dare possent, reipublicae administrandae potestatem praefectis concesserunt, omnia ad arbitrium suum gubernarunt, eo magis summam iurisdictionis potestatem

---

ad tertium p. Chr. n. saeculum has quaestiones stetisse, probavit Mennius, vir doctissimus, in comment. c. i. „Ueber die allmaelige Einschraenkung und gaenzliche Beseitigung der altroemischen Schwurgerichte.“ 1859. Neuss., ubi pl. v.

217) Primis imperatorum temporibus quaestiones perp. non nullo in honore fuisse, ex historiarum scriptoribus elucet. Cf. Dio Cass. LIV. 5. 30. Suet. Octav. 56. Tib. 33. 58. Tac. An. I. 72. 75. II. 79. VI. 16. XIV. 14. Iuven. Sat. XIII. 4.

218) Menn. l. l. p. 3.

219) Tac. An. IV. 1 sq. Aurel. Vict. Caes. IX. Dio Cass LVII. 19. LVIII. 4. 9. Lyd. de mag. Rom. II. 9. I. 14. Geib. l. l. p. 431 sq.

220) Drackenb. de officiis praef. praet. (in Oelr. II. 2. p. 57—60.) — Ritter: Historiae praefecturae praetorianae (in Oelr. Thes. nov. I. append. p. 15—21). — Suet. Oct. 49. — Lyd. de mag. II. 6. 13.

sibi arrogare studuerunt [221]). Inde ab Hadriano consilio, in quo et de negotiis publicis et de rebus ac causis tum civilibus quum criminalibus consultabatur, praefuit profecto imperatore praefectus praet., a cuius sententia nulla appellatio licebat [222]).

Dicunt quidem viri docti, praefectos praet. urbem nihil curasse neque interpellasse in iure suo praefectos U., sed causarum tantum ex Italia ceterisque provinciis ad imperatores delatarum cognitionem habuisse. Quod vero Hadriani institutiones attineret, praefectos pr. consistorio imperatoris illo praepositos de rebus tantum civilibus iudicasse. Contendunt quidem id viri docti, — sed non probant [223]).

Iam elucet, praefectorum U. potestatem et iurisdictionem non ita magnam esse potuisse. Dicunt ideo viri docti, praefectorum U. propriam et, ut ita dicam, ordinariam iurisdictionem non magnam fuisse; extraordinariam vero iis iam ab initio mandatam esse iurisdictionem, ex qua de gravissimis quoque causis iudicare potuisseut. Imperatores enim, penes quos summum ius summaque iurisdictionis potestas fuisset, saepius aut aliis negotiis prohibitos aut in segnitiem relaxos, causas ad se delatas ad alium iudicem reiecisse qui extra ordinem imperatoris vice cognitionem haberet.

Omnibus satis notum est, imperatores suam voluntatem reddere supremam legem, suamque auctoritatem omnibus rebus interponere studuisse. Quo studio commoti et summam iurisdictionis potestatem sibi arrogantes, sanxerunt, ut omnes causae graviores et celebriores imperatorum cognitioni subjicerentur, simulque appellationes ad imperatorem per-

---

221) Plut. Galb. 8. Herod. V. 1. Lampr. Comm. 3. 4. Zosim. II. 31. Dio Cass. LXXII. 9. LXXV. 15. Spart. Sev. 4.

222) Spart. Hadr. 18. 22. Capit. Ant. Phil 11. Dositheus Hadriani sentent. 5. 8.

223) Geib. l. l. p. 433.

miserunt[224]). Hisce vero rebus et auctoritatem iudiciorum in republica constitutorum imminuerunt et ordinem iudiciorum disturbarunt. Causas delatas imperatores nonnulli quidem ipsi dijudicarunt, plurimi tamen alium virum designarunt, qui imperatoris vice extra ordinem iudicium ferret. Quapropter saepius in inscriptionibus legimus. „Vice sacra iudicans“ aut „Electus ad cognoscendas vice sacra cognitiones“ [225]). Tali modo praefectos U. quoque dicunt viri docti amplissimam iurisdictionis potestatem adeptos esse[226]). Exhibent re vera lapides multorum nomina praefectorum U., qui A. Cog. V. Caes. Cog. electi sunt[227]); sed quae postea demum in usu fuisse accipimus, ad prima iam imperii tempora referre non possumus. Licet quidem exploratum non habeamus, quo tempore inceperit mos ille instituendi praefectos U. iudices V. S. C. tamen primo et altero p. Ch. n. saeculo hunc morem non valuisse ex eo elucere videtur, quod neque aequales scriptores neque lapides ante tertium p. Chr. n. saeculum positi huius rei mentionem faciunt.

Videmus, quantopere erraverint viri docti contendentes, latissimam et amplissimam potestatem praefectis U. iam ab initio imperii concessam fuisse.

Dicunt denique viri docti, sub praefectorum U. ius et iurisdictionem non solum subiunctam fuisse urbem Romam, sed et regiones proximas usque ad centesimum lapidem, ita ut quidquid commissum fuisset in urbe et extra urbem usque ad centesimum lapidem, ad praefectum U. pertinuisset[228]).

---

[224]) V. quae de appellationibus dicit Geib. l. l. p. 675 sq.

[225]) Grut. 102. 9. 193. 10. 407. 8. Orelli-Henzen 3042. 8672.

[226]) Drackenb. l. l. p. 43. – Cors. praef. p. XXXV. sq.

[227]) Grut. 102. 9. 193 10. 204. 8. 353. 4. 407. 8. — Orelli-Henzen 1101. 3042. 3672.

[228]) Drackenb. l. c. — Cors. praf. p. XXXVI. Geib. l. c. p. 441. Nituntur hi omnes oratione illa Maecenatis, quae legitur ap. Dion. Cass. LII. 1 sq.

Sed falluntur. Etenim Augustus, census causa Italiam in undecim regiones distribuens, urbem Romam exemit, in qua ipse censum habuit [229]). Hadrianus deinde administrationem Italiae et iurisdictionem quatuor detulit consularibus [230]), et Marcus Antoninus Philosophus pro consularibus iuridices instituit, qui per Italiam iura redderent [231]). Hoc tempore, ut Dirksenius satis probavit [232]), praefectorum U. potestas usque ad centesimum lapidem prolata est: urbi Romae enim partes Tusciae, Umbriae, Piceni et Campaniae adiectae sunt, quae postea provinciae suburbanae vocabantur. Factum est igitur id sub finem fere saeculi p. Chr. n. secundi, quo tempore praefecti U. maiorem iam adepti videntur potestatem. Ii imprimis imperatores, qui pacis et iustitiae studiosi imperium crudelitatibus antecessorum dilaceratum et perturbatum in quadrum redigere et bonis legibus ac institutionibus temperare ac restituere voluerunt, praefectorum U. auctoritatem et vim auxisse putandi sunt. Quid vero hi imperatores ad provehendam praef. U. auctoritatem fecerint, quantamque potestatem hisce sub imperatoribus adepti sint praefecti U. exploratum non habemus; desunt enim testimonia et iuris consultorum libri, ex quibus certissimam harum rerum cognitionem haurire possimus, maximum partem perierunt. Legimus tantum in Pauli libro singulari de offic. Pr. U.: Hadrianum censuisse ut etiam ab argentariis vel adversus eos et in pecuniariis causis adiri posset Praef. U. [233]). Et Capitolinus narrat, Marcum Antoninum Philosophum non libenter accepisse, si quis unquam proscriptus esset a praefecto urbi [234]) simulque dedisse curatoribus regionum ac

---

[229]) Becker-Marq. II. 3. p. 336 u. pl. v.
[230]) Capit. Ant. Pius 2.
[231]) Idem Marc. Ant. Phil. 11.
[232]) Dirksen: „Die Skriptores Historiä Augustä.“ 1842. Leipz. p. 78 sq.
[233]) Dig. I. 12.
[234]) Capit. Ant. Phil. 23.

viarum potestatem, ut vel punirent vel ad praefectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent [235]).

Hoc loco nobis nonnulla dicenda sunt de potestate, quam praefecti urbi habuerunt in Christianos. Scriptores quidem rerum Romanarum nihil nobis hac de re tradiderunt, elucet vero hoc ex actis ss. martyrum, quibus prudentia quadam et cautione adhibita fidem habere possumus [236]). Liberae civitatis temporibus aedilium erat providere, ne urbs superstitionibus vexaretur neve religiones novae in urbem inducerentur, simulque potestatem habuerunt in eos, qui collegia illicita sive sodalitia frequentabant [237]). Imperatorum temporibus haec cura transiit ad praefectum U., in quantum superstitionibus urbis tranquillitas et publica disciplina periclitabatur. Accusabantur vero Christiani non solum veluti deorum immortalium contemptores, sed inprimis veluti publicae tranquillitatis hostes ideoque eos ad praefectum U. accusatos praefectumque de iis iudicium tulisse verisimile est. Num vero iam ab initio hanc habuerint potestatem praefecti U., pro certo dicere non possumus. Desunt enim testimonia; ea vero, quae de primis martyribus nobis traduntur, tam incerta tamque fabulosa sunt, ut iis vix fidem habere possimus [238]).

---

[235]) Eod. lib. c. 11.

[236]) Quanta sit observanda prudentia in adhibendis s. s. Martyrum actis omnes sciunt, qui quodammodo huic rei operam dederunt. Cfr. Ruinart: Acta s. s. Mart. praef. Inprimis quod praefectos U. adtinet, quorum iussu et auctoritate martyres damnati et interfecti dicuntur, actis illis haud magna fides est habenda. Etenim non solum persaepe inter se dissentiunt, sed etiam nomine praef. U. saepe appellant praesides et vicarios aliarum urbium eaque re nos in errorem inducunt. Cfr. Cors. praef. p. XXXVIII.

[237]) Cf. Becker-Marq. II. 3. p. 278 sq.

[238]) Mennius quidem l. l. p. 25 not. putat, S. Petrum a praefecto U. reum arcessitum et damnatum fuisse, sed sententiam suam nullis con-

Quamdiu vero senatus auctoritas tanta erat, quamdiu iudicia publica stabant, quamdiu denique praefectorum praet. licentia et arrogantia omnia sibi vindicabat, praefectorum U. potestas multis modis coercebatur. Minuenda igitur erat senatus potestas, abolendum beneficium huic ordini concessum, removendae quaestiones perpetuae, quae posterioribus temporibus imaginem tantum antiqui illius et nobilissimi iudicii praebebant, certis denique finibus circumscribenda potestas praef. praet., ut praefectus U. id fieri posset, quod postea factus est, quodque sine dubio Augustus in animo habuit: — summus in urbe iudex.

Quod ut fieret, in causa fuit Septimius Severus, qui mutans ordinem iudiciorum eas potestates, quae antea penes permultos fuerant, penes senatum et praetores, ad unum contulit praefectum U. Septimus enim Severus cognovit vitia

firmat testimoniis. Similiter Corsinus iam sub finem primi p. Chr. saeculi praefectos U. supplicii potestatem in christianos habuisse et exercuisse condendit. Ad an. 100 p. Ch. adscribit Corsinus Annianum, quo praefecto U. iudice Sulpicium et Servilianum martyrii palma coronatos dicit. Nititur Cors. testimonio Martyrologii Romani ad d. 20. April, huic nimiam tribuens fidem. Ad an. 116 p. Chr. adscribit Cors. Hermetem, quem praefectum U. primum christianorum iudicem, deinde vero christianum et martyrum fuisse contendit. Nititur actis S. Alexandri Papae et Martyris, quorum actorum vero fidem iure Baronius, Pearsonius, Tillemontius addubitarunt. (Cors. p. 54 sq.) Multo maiorem fidem habent acta S. Felicitatis eiusque filiorum, in quibus actis legimus haec: „Imperator Antoninus iniunxit praefecto U. Publio, ut eam (scil. Felicitatem) compelleret cum filiis suis deorum iras sacrificiis mitigare. Publius itaque praef. U. iussit eam adduci.“ (Cors. p. 78.) Mortua autem est S. Felicitas anno 164 p. Chr. n., quo tempore, ut iam diximus, praef. U. maiorem adepti sunt potestatem. Licet ex alto fontium silentio non ita multum colligi possit, tamen ex eo, quod ante an. 150 p. Chr. nullum inveniatur testimonium satis fidum, ex quo probari possit, praef. U. hanc potestatem in Christianos habuisse, elucere videtur, eos hanc potestatem ante hoc tempus non habuisse. Post annum 150 p. Chr. praef. U. hanc potestatem et habuisse et exercuisse, multis testimoniis firmissimis probari potest. Cors. p. 80, 114 et saep.

et vulnera, quibus imperium laborabat; cognovit et contempsit senatum, qui ad pessimam et odiosissimam adulationem erat prolapsus, quique potestate concessa et beneficiis abutebatur; intellexit Severus iudicia publica magis nocere quam prodesse, et ex eo, quod desit vinculum coniunctionis vel quasi centrum quoddam, ad quod crimina omnia quorumlibet civium oporteret deferre, permultas exoriri turbationes legesque perverti. „Nam," ut iam Mennii utar verbis, „ex ordine Octaviani, et ex senatus consultibus constitutionibusque, quibus post Octavianum singulae quaedam eius ordinis partes mutatae erant, eadem saepe causa civium criminalis ad diversa agi poterat iudicia; si plebeiorum vel equitum coniunctae essent cum criminibus senatorum, vel ad personas senatorum pertinere arguerentur, reos facere eosdem licebat ad senatum; si speciem aliquam causa haberet criminis extraordinarii, fieri poterat, ut simul ad praefectum urbi, qui extra ordinem coerceret, atque apud praetorem eiusdem rei institueretur accusatio; denique factum haud raro videtur, ut idem civis diversorum criminum, vel etiam unius eiusdemque rei apud duos pluresve praetores eodem tempore accusaretur." [239]) Deinde vero et senatores et praetores cum iuratis suis tantopere moribus depravati erant, ut non iustitia sed licentia foedissima et animus venalis in foro regnare videretur. Haec omnia intelligens remediaque adhibenda esse persuasum habens simulque superbiam crudelissimam et licentiam effrenatam Plautiani praef. praet. edoctus, Septimius Severus, postquam Nigro et Albino adversariis regnique aemulis devictis et Parthis repulsis Romam revertit, anno 205. p. Chr., quo tempore Fabius Cilo, Severi amicissimus atque sinceritate animi non minus quam moribus probatissimus exstitit praefectus U. [240]), commutatione facta, ad praefectum

---

[239]) Menn. l. l. p. 23.

[240]) Cfr. Com. n. p. 47. ubi exposuimus, Cilonem haud ante an. 204. p. Chr. praefecturam urbanam obtinere potuisse. Anno vero 204 Cilo

urbi amplissimas detulit iurisdictionis potestates, eaque re non solum senatus potestatem, iudiciorum publicorum auctoritatem, praefecturemque praet. licentiam, imminuit, sed etiam viam aperuit, qua praefecti U. ad summam auctoritam et potestatem pervenire possent.

Factum est id epistola, quam ad Cilonem, Praef. U. dedit Septimius Severus: quae quidem epistola nostram non tulit aetatem, cuius tamen summam nobis servavit Ulpianus in libro singulari de officio praef. Urbi. [241]

Cuius libri in initio legimus haec: „Omnia omnino crimina praefectura urbis sibi vindicavit, nec ea tantum, quae intra urbem admittuntur, verum ea quoque, quae extra urbem intra Italiam (add. ad centesimum lapidem) epistola divi Severi sed Fabium Cilonem missa declaratur.“ [242]

Officia deinde praef. U. recensens quaeque ad eorum tribunal referenda sint enumerans Ulpianus dicit haec:

§. 1. Servos, qui ad statuas confugerint, vel sua pecunia emptos ut manumittiantur, de dominis quaerentes audiet:

§. 2. sed et patronos egentes de suis libertis quaerentes audiet, maxime si aegros se esse dicant desiderentque a libertis exhiberi.

§. 3. Relegandi deportandique in insulam, quam imperator adsignaverit, licentiam habet.

---

iterum consul fuit, et, quum primis quidem Romani imperii temporibus praefectura consulatu tantum perfunctis delata esset, (Dio Cass. LXXVIII., 14 et Reimar. a. h. l.) verisimillimum est, Cilonem anno domum 205 praefecturae munus suscepisse. Deinde vero Cilo in hac epistola nominatur „praef. U.“ sed non „consul“ id quod sine dubio factum esset, si uno eodemque tempore consulatum et praefecturam urb. gessisset. De causis, quibus commotus Severus hanc mutationem fecerit, v. Menn. l. l p. 24 sq.

[241]) Ne Ulpiani quidem liber singularis de officiis praef. U. ad nos pervenit, sed fragmenta tantum huius libri existunt, quae in Digest libris leguntur.

[242]) Dig. I. tit. 12. praef.

§. 4. Initio eiusdem epistolae (scil. Severi ad Cilonem) ita scriptum est: „quum urbem nostram fidei tuae commiserimus.“ Quidquid igitur intra urbem admittitur, ad praefectum urbi videtur pertinere; sed et si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad praefectum Urbi pertinet.

§. 5. Si quis servum suum adulterium commisisse dicat in uxorem suam, apud praefectum urbi erit audiendus.

§. 6. Sed et ex interdictis quod Vi aut Clam, aut interdicto Unde vi audire potest.

§. 7. Solent ad praefecturam urbis remitti etiam tutores qui male in tutela sive cura versati graviore animadversione indigent, quam ut sufficiat iis suspectorum infamia, quos probari poterit vel nummis datis tutelam occupasse, vel praemio accepto operam dedisse, ut non idoneus tutor alicui daretur, vel consulto circa edendum patrimonium quantitatem minuisse vel evidenti fraude pupilli bona alienasse.

§. 8. Quod autem dictum est, ut servos de dominis quaerentes praefectus audiat, sic accipiemus: non accusantes dominos; hoc enim nequaquum servo permittendum est, nisi ex causis receptis, sed si verecunde expostulent, si saevitiam, si duritiam, si famem, qua eos premunt, si obscoenitatem, in qua eos compulerint vel compellant, apud praefectum Urbi exponant. Hoc quoque officium praefecto U. a divo Severo datum est, ut municipia tueatur ne prostituantur.

§. 9. Praeterea curare debet praefectus urbi, ut nummularii probe se agant circa omne negotium suum et temperent his, quae sunt prohibita.

§. 10. Quum patronus contemni se a liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum quaeratur, vel convicium se ab eo passum liberosque suos vel uxorem, vel quid huic simile obicit, praefectus U. adiri solet, et pro modo quaerelae corrigere eum, aut comminari, aut fustibus castigare, aut ulterius procedere in poena eius solet: nam et puniendi plerumque sunt liberti. Certe si se delatum a liberto vel conspirasse

eum contra se cum inimicis doceat, etiam metalli poena in eum statui debet.

§. 13. Et urbe interdicere praefectus U. et qua alia solitarum regionum potest, et negotiatione et professione et advocationibus et foro, et ad tempus et in perpetuum. Interdicere poterit et spectaculis, et si quem religet ab Italia, summovere eum etiam a provincia sua.

§. 14. Divus Severus rescripsit eos etiam, qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud praefectum urbi accusandos.[243])

Et alio loco legimus: „Imperatores Severus et Antoninus Iunio Rufino Praef. Vig. ita rescripserunt: in salarios et eos, qui negligenter apud se ignes habuerint, potes fustibus vel flagellis caedi iubere; eos autem, qui dolo fecisse incendium confincentur, ad Fabium Cilonem, amicum nostrum, remittes; fugitivos conquirere eosque dominis reddere debes.[244])

Iam ex his elucet, quantum fecerit Severus ad provehendam praefectorum U. auctoritatem et potestatem. Nullo discrimine facto, omnes cives in urbe, et senatores et plebeios, Ciloni, praefecto Urbi, subiecit, eique detulit potestatem, quae multis aliis iudicibus denegata erat. Deportandi enim potestas, summa nobilium hominum punitio post supplicium et quae in antiquae interdictionis ignis et aqua locum venerat, ceteris urbanis magistratibus et omnibus provinciarum praesidibus denegata erat. Hoc enim ius penes imperatores erat et penes senatum, qui ex mandato Caesaris iudicabat; quaestionibus quoque perpetuis hoc ius concessum fuit.[245]) Hanc autem puniendi potestatem tantarumque poenarum imponendarum facultatem praefecto urbi concedens, simul omnia ea, quibus tales additae erant poenae, crimina i. e. capitalia cognitioni praf. U. subiecit. Senatui vero potestatem de criminibus senatorum, praetoribus in foro Augusti

---

243) Dig. I. tit. 12.

244) Dig. IV. de off. Praef Vig. 15.

245) Menn. l. l. p. 18.

de equitibus et plebeiis adimens[246]), eamque ad praefectum U. deferens Septimius Severus in causa fuit, ut praefecti U. mox summam non solum auctoritatem et dignitatem sed etiam potestatem et iurisdictionem adipsiscerentur, proximas ab imperatore partes in urbi gererent, summique in urbe iudices existerent. Posterioribus enim temporibus praefectus U. non solum de omnibus inter servos et dominos, libertos et patronos controversiis iudicabat[247]), neque in peiorem tantum populi Romani partem ius ac potestatem habebat, sed etiam in senatores, quos summis afficere potuit poenis. De senatoribus leviorum criminum reis praefectus ipse sententiam tulit, in causis vero gravioribus et capitalibus quinque adhibere debebat senatores, quibuscum in rem inquireret iudiciumque ferret.[248])

Atque ut eo maiori gravitate munus subire posset, praefectus U. praeerat senatui, primus sententiam rogabatur, primo loco dicebat, princepsque senatus vocabatur, cuius iura ut tueatur imperatores praefecto U. mandarunt.[249]) Expilatae haereditatis crimen ad praefectum U. pertinuit[250]); cognoscebat de plagiarus[251]); iudicabat praefectus U. de falso testamento ac quum fraudis alicuius suspicio esset[252]);

---

[246]) Menn. l. l. p. 18.

[247]) Dig. I. 12. — C. Iust. de liberti. eor. liber. 2. Amm. Marcell. XXVIII, 1.

[248]) Cod. Theod. IX tit. 1 lex. 13. (ed. Ritter III. p. 18 sq.) et Gothofred. a. h. l.

[249]) Cassiod. Var. I. 42. VI 4. Sidon. Apollin. I. 9. IX. 16. — Posterioribus temporibus imperatores praefecto U. mandabant, quaecumque a senatu fieri volebant, (Cassiod. V. IX. 16.); rescripta imperatorum ad senatum data praefectus U. in senatu recitabat; ad praefectum U. imperatores scribebant de viris bene meritis in senatorum ordinem referendis. (Cassiod. V. III 33. IV. 25. I. 42.)

[250]) Dig. (de Expil. hered.) XL. VII. tit. 19. l. 3.

[251]) Cod. Iust. (ad leg. Flav. de plag.) IX. tit. 20. l. 7.

[252]) Dig. (de Verb. obligatione) XLV. tit. 1. l. 135 §. 4.

deinde tutores vel curatores, qui male in tutela vel in curatela versati erant, ad praef. U. remittebantur[253]); de crimine quoque adulterii praefectus U. iudicabat[254]); subiecti ei erant omnia collegia et operariorum corpora, scholae publicae[255]); ius denique et potestatem habebat in eos, qui artes magicas exercebant et collegia illicita frequentabant.[256]) Ad praefectum U. referre debebant omnes causas graviores praefectus annonae, praef. Vigil., curatores operum publicorum, rationalis Vinorum, praetor urbanus et Vicarius Urbis, a quorum magistratuum sententia ad praefectum U. appellare licebat.[257]) Quod vero ad provincias pertinet, praefectus U. recipiebat appellationes a iudicibus in provinciis suburbicariis constitutis[258]); ex reliquis vero provinciis ex speciali tantum imperatoris mandato et ex iis tantum provinciis, quas imperator adsignaverat, appellationes recipiebat.[259])

Sed ne iusto longiorem reddamus commentationem nostram, afferre nobis liceat verba Cassiodori, qui nos optime docet, quae posterioribus temporibus fuerit auctoritas et dignitas, quae potestas, quae officia. Sunt vero verba haec[260]):

„Quum de dignitate commissa laus semper iudicis aestimetur, et potior habendus est quam sunt illi quibus praeesse cognoscitur, nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Roma commititi. Grande est quidem, procerem esse, sed

253) Dig. d. off. praef. U. §. 7. — Institutiones: de suspect. tutor. v. curat. §. 10.

254) Ammian. Marcell. XXVIII. 1.

255) Cod. Theod. de studiis liberalibus U. Romae et Const. lib. IX. tit. 9. l. 1. — Cod. Iust. XI. tit. 18.

256) Cod. Theod. IX. 16. 3. sq. — Cod. Theod. XVI. 5. de haereticis — Ammian. Marc. XXVI. 3. XXVIII. 1. Cassiod. Var. IV. 22.

257) Cod. Theod. IX. tit. 1. l. 13. et Gothofr. a. h. l. — Cod. Theod. XI. tit. 30. l. 13. 18. 49. 61.

258) Cod. Theod. IX. 1. 13. et Gothofr. a. h. l.

259) Cassiod. VI. 4.

260) Cassiod. Var. VI. 4.

multo grandius de proceribus iudicare. Senatus ille mirabili opinione gloriosus probatur habere praesulem, quem mundus suscipit iura condentem. Eoque fit, ut illi utantur in senatu potestate perfecta, qui apud te (scil. praef. U.) trepidant dicere proprias causas. Verum haec quoque modestia cognoscitur esse praedicanda, ut optent se legibus teneri quae ab ipsis sciuntur posse constitui .... Respice tot doctos viros et considera quale sit his aliquid dicere nec erroris verecundiam formidare de talibus disceptas, quos tibi cognoscis esse potiores. Sic ergo locum tuum tracta, ut omnes te iudicem honoratae congregationis agnoscant. Consides supra omnes scilicet consulares, sententiam primus dicis et in illa libertatis aula reverendus aspiceris, in qua commissos babere mundi primarios approbaris. Quis iam de obscuro vitio cogitare possit, qui se inter morum lumina tot esse cognoscit? Vis odium non recipere? Studium a te gratificationis exclude; publicum amorem necesse est habeas, si secretius nil promittas .... Ditioni tuae non solum Roma commissa est, quamvis in illa contineantur universa, verum etiam intra centesimam (scil. lapidem) potestatem te protendere antiqua iura voluerunt, ne tantae civitatis iudicem muralis agger includeret, quum Roma omnia possideret. Tu etiam ex designatis lege provinciis ab apellatione cognoscis; advocati tibi militant eruditi, quando in illa patria difficile non est oratores implere, ubi magistros eloquentiae contigit semper audire. Carpento veheris per nobilem plebem; publica te vota comitantur; favores gratissimi consona tecum voce procedunt. Bene age, quia te veniente licet populis conticere. Habes copiose, unde tibi gratiam tantae civitatis acquiras, si merces diversae sub nulla venalitate vendantur, si exhibitio salubriter accensa thermarum rapinarum ardoribus non tepescat, si spectaculum, quod praebetur voluptati, non sit causa litigii; suaviter enim cogit gratum esse populum quisquis in certaminibus partium declinat iniustum; tanta est enim vis gloriosae veritatis, ut etiam in rebus scenicis aequitas desideretur. Admonitionum igitur ordine decurso per indictionem illam habitu te togatae dignitatis ornamus, ut indutus veste Romulea iura debeas affectare Romana."